

Google


HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

DE

RERUM DIVINARUM APUD ÆSCHYLUM CONDITIONE.

PARTICULA I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

IN ACADEMIA HALENSI CUM VITEBERGENSI

CONSOCIATA

DIE XXXI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII

HORA XI.

UNA CUM SENTENTIIS ALIQUOT CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

RUDOLFUS HAYM

SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:

TH. HAARBRUECKER, DR. PHIL.

O. GRUBER, CAND. MIN.

O. DIETLEIN, CAND. THEOL.

HALAE.

Constantine Fund

OPTIMO PATRI

DIE QUI EI NATALIS EST PRID. KALEND. SEPTEMBR
ANNI MDCCCXLIII.



PROLEGOMENA.

§. 1.

De rebus divinis quid Aeschylus senserit, si recte quaestionem instituere volumus, partem eam esse majoris quaestionis de ea quam summam Aeschylus et absolutam rerum divinarum humanarumque ideam secutus sit, fateamur necesse est. Nisi enim et philosophiam et artem eundem sibi cum religione finem proposuisse concedamus, ne omnis ad Aeschyli religionem aditus claudatur, timendum est. Quid enim? nonne ad ideam explendam summam illam omnibusque partibus et numeris absolutam arte Graeci utebantur? nonne religionem maxima ex parte habebant in arte positam? nonne deos tales potissimum credebant, quales imaginibus eos a pictoribus expressos intuebantur? nonne Hesiodum et Homerum, summos poëtas eosdem etiam religionis auctores et magistros Herodotus est professus (Her. II. 53)? Quid multa? nonne nobis nunc res est cum poëta potius quam cum religionis aliquo doctore? Quae quum ita sint, vel si ideam summam tantummodo sub mera religionis specie hominibus obviam ire concederem, artem Aeschyli ita saltem respicere cogerer, ut omnia ab ea profecta religionique immista quam acutissimo judicio secernerem. Qua si re vera essem mentis acie, timendum esset, ne aut omnino nihil aut perpaucum tantum exstaret, quod poësis vestitu misere detracto ad religionem, etsi quanto hujus commodo relegarem! Qua contra si minus gauderem acie, maneret vero ista discernendi sententia, alterum id ne mihi quoque accideret nunc timor haud minor adesset, quod video plerisque accidisse. Lapsi enim in constituendis finibus tantum abfuit ut suum cuique tribuerent, ut confunderent omnia et perturbarent. Quod vitium in exhibenda theologia Aeschyli

neque ii evitarunt, qui passim de ea verba fecerunt *), neque is, quem, quum unicum haberem propositi mei auctorem, dolui me hac in re mihi ducem assumere non potuisse. **)

Sed quae tandem est salutis via, qua et Scyllam licet et Charybdim vitare? Patebit profecto nulla nisi antea nec religionem Graecorum neque artem perfectam esse formam, qua per se contineatur summa et perfecta veritas professi primus. Haec enim quum neque eo contenta sit, ut pulcherrima forma tanquam corpore induta ad oculorum revocetur sensum, id quod est artis proprium, neque eo ut a rebus sensibus subjectis in regionem altiorem et ad ea tendens, quae cogitatione tantum et mente complectimur, media in via a religione retineatur, nullam habet neque in arte neque in religione certam firmamque sedem, immo ab altera invicem in alteram continuo defertur,. nec quiete degit priusquam a philosophia quasi in coelum recepta sola ratione et intelligentia contineatur.

Eo igitur tota de religione Aeschyli quaestio redit, ut ea quae proprie religionis sunt quo pacto foedus cum poësi fecerint diligenter inquiramus. Sed de foedere non bene diximus. Nam non ea est poësis quae eodem semper cum religione vinculo ligari velit; habet sane per se vim quandam et dignitatem religionis vi vix inferiorem. Licet igitur vel maximas tum religioni partes tribuat, id tamen non minus aget, ut nullis tum religionis vinculis impedita suo splendore splendeat, suo nitatur pondere. Itaque jam non icto foedere alteram cum altera iisdem gaudentes juribus, sed bellum inter se gerentes, idque fortuna hanc nunc in partem, nunc in illam vergente eas videre mihi videor. Utram vero apertius fortuna partem sequatur, utpote in poëta, dubium esse non potest. Poësis enim quum finibus suis non ea conditione religionem exceperit, ut poësis esse desineret, illam ne heram magis quam servam habeat, magnopere cavebit. Jam quoniam ita comparata est natura humana ut vel maxime placeat periclitantibus succurrere, partes inferiores defendere mihi quoque in animo est.

Sunt vero tres quasi gradus belli istius, quorum primo victrix omnino poësis exsistit, altero cui primae deferendaé sint nondum patet, tertio ut triumphantem aut certe liberatam religionem ex proelio deducere licet. —

---

*) Vidit tamen quid potissimum is agere deberet, qui de theologia Aeschyli scribere vellet Schoellius in libro: Beiträge zur Kenntniss der trag. Poësie der Griechen. I. p. 25.

**) Librum dico R. H. Klausenii, ceterum docte diligenterque scriptum: Theologumena Aeschyli tragici. Berol. 1829.

§. 2.

Verum de variis belli vicissitudinibus quum judicium nisi utrarumque partium opibus et viribus bene perspectis ferri nequeat, a consilio meo opinor non alienum esse, artem Aeschyli dramaticam ita primum exponere ut quantum valeat ea ad ineundum bellum, quam habeat per se cum religione necessitatem possit intelligi.

Universae vero poësis in eo posita est vis, ut divina quaeque et aeterna cum humana hac et inani rerum conditione, cum infimis summa, terrestria denique cum coelestibus conciliet. Haec in epica primum poësi ita inest rerum toto coelo distantium conciliato, ut non tam arte facta quam a natura data, immo non tam conciliatio, id est sublata discordia quam inventa concordia esse videatur. Nullum igitur carminis epici consilium, certis finibus descriptum. Sunt ubique dei, in quovis narrationis loco cum voluptate quadam commoramur, etiam in medio bello altioris cujusdam pacis amoenitatem percipimus neque est cur deis tranquillitatem illam et beatitudinem, immo ne immortalitatem quidem invideamus, quum iisdem et nos legendo bonis eximio sane poëtae munere donemur. Quare duabus tantum de causis non nimis errasse censeo Aristotelem, Homeri carminibus certum consilium, certos argumenti fines adscribentem: primum quod divina illa carmina qualia jam Aristotelis aetate legebantur, imprimis vero Odysseam revera nescio quorum hominum ineptia quodammodo ad certos fines video revocata esse, tum vero quod eo ipso epici carminis vim vel invitus melius ille indicavit, quam si consilium in iis bene definitum non reperiri, desiderari vero contendisset. — Acutius rem jam Herderum*) video perspexisse, quum narrationi per se omnino finibus certis non definitae ex solo poëtae epici arbitrio et initium dari et finem constitui dixerit. Est ingeniosa etiam Schlegelii**) illa comparatio carminis epici cum opere caelato quod et ipsum in orbem circumductum non habeat neque ubi initium neque ubi finis deprehendatur. Verumtamen concordia ista et tranquillitas inde nata, qua carmine epico legendo et ipsi imbuimur, non ita comparata est, ut perire nequeat. Immo interno quodam forma epica laborat vitio, quo ne summam artis ea contineri opinemur praevisum est. Videlicet quod maxime agit Homerus, ut ubique nos contento animo retineat, id quominus assequatur, ipso narrationis argu-

*) Homer und das Epos. III. Vom Kunstbau des Epos. Opp. X. p. 307 (ed. 1808.)

**) Vorlesungen über dramat. Kunst und Litteratur. I. p. 126. 127.

mento rerumque narratarum progressu ad irritum reducitur. Aciem mireris Goethii*) quod hanc epicae poësis quasi discordiam detexerit qua cunctando moveri, movendo rem retineri videmus.

Jam igitur quum id primae poësis formae accidisse intelligamus quo proprium ipsius consilium perverti apparet, formam aliam non eodem vitio laborantem quaerimus. Id enim quam maxime poscimus, ut quae per se ne adesse quidem videbatur discordia in medium nunc aperte protrahatur neve de pace nisi bene cognita inimicitia cogitetur. Dissidium adhuc sopitum, in tranquilla rerum naturae contemplatione immersum quasi et latens quin in luce collocetur, immo ipsa humana mente excipiatur fieri nequit. — Inde vides carminum genus exortum quod totum dissidio isto continetur. Rem humanam a divina esse secretam, rerum omnium non eam esse externam speciem, quam animo de iis concipiamus, virtuti esse aeternum cum vitio, spei cum eventu, animo denique cum rebus bellum gerendum, haec jam tristissima subit mentem experientia. Haec lyricae poësis origo. Pacem quam nullam esse mente docemur, ipsa vi mentis resarcire, hostem internum internis superare armis conamur. Verum ne eam quidem pacem, quae de rebus externis admodum secura sola mentis vi conficiatur, veram esse et mansuram apparet. Tantum abest lyrica poësi ut pax paretur, ut dissidium ea ipsa augeatur, nec salus unquam reperietur, nisi ad mundum iterum translatum bellum ipsum ex se pacem procreaverit.**) Quantum me-

*) Briefwechsel zwischen Goethe und Schiller. III. p. 374 sq.

**) Naturam hanc poësis dialecticam, formis carminis epici, lyrici, dramatici descriptam, a Solgero jam, quamvis obscurius indicatam habes in praefatione versionis Soph. p. VI. seq. (ed. II.) cf. Opp. II. p. 445. sq.

Quantum vero externa tragoediae conditio cum natura ejus et indole congruat, suspicari poteris Muelleri si adieris librum: Aeschylos Eumeniden, griechisch und deutsch. p. 191.

Ut judicium etiam hic apponam de doctrina Aristotelis, proxime is ad nostram sententiam accessit, videturque rei summam acu tetigisse, ubi in ipsa fere calce libri sui haec dicit: φανερὸν, ὅτι κρείττων ἂν εἴη (sc. ἡ τραγ.) μᾶλλον τοῦ τέλους τυγχάνουσα τῆς ἐποποιίας. Adde cap. XV.: Φανερὸν οὖν, ὅτι καὶ τὰς λύσεις τῶν μύθων ἐξ αὐτοῦ δεῖ τοῦ μύθου συμβαίνειν. Sed eodem fortasse jure locum mihi illum laudaveris quem primarium habemus ad cognoscendam Aristotelis de vi tragoediae sententiam (cp. VI.) locum, quem quanto opere vexarit Lessingius (Dramaturgie. Opp. ed. Lachm. VII. p. 331 sq. et 346 sq.) neminem fugit. Sed quum uberius hoc loco quod sit proprium tragoediae munus exponat, vera de re sententia tum demum inde evadet, si a ratione quam ille sequitur psychologica ad rationem rem traduxeris vere philosophicam. Eo enim tota Aristotelis de poësi doctrina vitio laborat, quod ad vim potius a poësi in animo humano exercitam, quam ad ipsam poësis naturam per se spectandam redit aut hanc certe disputandi rationem cum altera commiscet. Nec desunt loci, ubi haerens maxime in superficie rei omnem abjecisse videatur, qua tantopere excelluit, mentis aciem. Quod ne temerius dictum putes, locis probo tanquam exemplis cp. VI. ubi de

hercule homines in detegenda illa suprema lege laborasse videmus, illa inquam lege, qua universum mundum et eum quem oculis cernimus et eum quem sola mente conspicimus, regnari certissimum est! Quid quaeris? Aeschylum tibi verum rei dramaticae inventorem et conditorem, eheu qualem virum ostendo! *) Habes poëtam, qui, quum in summo poësis genere versaretur, formam illam rerum triplicem arti vindicavit. Alterum alteri oppositum a tertio utrisque superiore excipitur, superatur, alterum denique cum altero conciliatur. Arte praeeunte religio est subsecuta, docuitque haec eadem lege deum quoque teneri, quum unum deum eundemque tres esse deos contenderet. Eam vero legem ad rationem jam haec nostra aetas revocavit, ut aeternam eam esse mentis formam, aeternam philosophiae legem omnemque esse cogitationem ad hanc normam exigendam ostenderet.

Eam igitur tragoedia ab Aeschylo, si minus inventa, in suam certe formam vindicata, arti perfectionem attulit, ut quae desiderabatur antea rerum inter se dimicantium conciliatio ex ipso illo proelio nunc exoriri videretur. Ad res enim rediens externas et ad campum historiae late patentem eaque in re epicae rationis non dissimilis, eo tamen hanc superavit, quod res non per se nullo tactas discrimine exhibuit, sed summa discordia laborantes ad summam perduxit concordiam, in summam ex servitute quasi in libertatem vindicavit. Quam ob rem vi ista conciliatrice freta ex narratione et multo magis etiam ex sola mentis contemplatione ad ipsam vitam et veritatem rem reduxit. In scenam produxit deos hominesque, loquentes eos et agentes. Immo res ipsae, quibus nihil amplius adhaesit, alienum quod diceres et non bene perspectum, quarum ipsa nunc quasi anima erat revelata, in lucem jam ante aures spectatorum oculosque prodierunt. En dei, heroes, homines quum carminibus jamjam Homeri eam essent nacti immortalitatem, qualem sibi non posse contingere magnus ille Alexander aegre ferret, quum Pindari laudibus jam in coelum essent elati, in terram nunc vel mortui redierunt neque immortalitatem tantum coelestem sed vitam ipsam et talem quidem sunt assecuti qua nescio num aliam habeas aut veriorem dicere aut pulchriorem.

---

discrimine exponit epici carminis et tragoediae et cp. XXVI. ubi docet, quantum haec sit illo praestantior. — Quo loco Aeschylum habuerit Aristoteles, cur trilogiae formae ne mentionem quidem fecerit, discas a Welckero: Die Aeschylische Trilogie Prometheus etc. p. 528 sq. et 532.

*) Phrynichi trilogias toto coelo ab Aeschyli trilogiis diversas fuisse Welckerus tibi persuadeat: Trilogie p. 498. et Droysenius: Phrynichos, Aischylos und die Trilogie. Kiel, 1841. — Conferas etiam locum a Welckero laudatum Philost. V. A. VI. 11. p. 245.

Verum quod novae semper legi quum primum profertur, idem tragoediae etiam nuper detectae accidit. Videlicet cum vi quadam nova quaeque lex mundi exsistit dominatrix. Quo minus initio per se est perfecta, eo latius ubique vagatur, ut, si gradu non valeat, numero certe possit vincere. Quem igitur rerum gerendarum quasi rhythmum aut numerum tragoedia invenerat, ejus tam studiose prae se tulit speciem, ut eum semel ostendisse minime contenta ad triplicem abiret praeclarissimae formae repetitionem. Tragoedias inde habes tres, alteram excipientem alteram, unamquamque summae illi tragoediae legi respondentem, compositamque ex tribus istis partibus trilogiam et ipsam rhythmum illum vel maxime confitentem atque confirmantem.

Maximi id esse momenti, summamque in eo cerni summae legis vim haud facile negaveris, summam ea ratione pulchritudinem contineri vix concesseris. — Quid enim? annon, si undarum instar tragoediam sequitur tragoedia, ipse sibi diffidere videtur poëta, quippe qui nisi ter tripartito opere formam tragicam exhibuerit legem summam non satis expressisse sibi videatur? Annon suspicio erit, si saepius eam expresserit, id propterea eum fecisse ut vitium in singulis commissum repetendo corrigeret? Quare non possumus quin majorem Sophocli laudem tribuamus qui una eaque pleniore tragoedia idem effecit, quod tribus antea Aeschylus *).

Sed quae vitia sint Aeschyleae trilogiae, quae tragoediae, tum demum dicetur a nobis quum nostram opinionem de trilogiae natura modo prolatam et contra alias doctorum virorum sententias defenderimus et ipsis Aeschyli fabulis breviter recensitis, quam adhuc fieri potuit, clarius exposuerimus.

Ab eo solent initium facere homines quum ad rem aliquam mirabilem primo accesserunt, ut, quod intelligere nequeunt, forte id factum esse affirment. Scilicet non vident, vim casus nullam esse, nisi quae et ipsa ad necessitatem redeat. Huic igitur quum locum omnino non esse contendant, errant; contra qui sit locus, quae illa necessitas, hoc si ipsi se perspicere non posse confiterentur, vere dicerent.

Jam vero casu valere jusso ad causam rei quaerendam alii accedunt, sed non tam ex ipsa re eam hauriunt, quam de suis

---

*) Non facimus nos cum Genellio qui trilogiam Atticae tragoediae quasi cacumen esse contendit in libro: Das Theater zu Athen pag. 158. Sed bene idem monuit, non singulas Aeschyli tragoedias, sed integras ejus trilogias cum singulis aut Sophoclis aut Euripidis tragoediis esse comparandas: pag. 21. cf. pag. 194.

ad rem eam afferunt. Quam ingeniose id fecerit Hermannus vel ex eo quod Goethium habuit consentientem *) intelligi potest, nec mea ille vir laude eget: ingenii inquam laude, nam in re summa quantum a vero aberraverit, uberius Schoellius **) ostendit. Primam videlicet tragoediam ad excitandum totum animum fuisse comparatam, secundam auribus potissimum, tertiam oculis indulsisse Hermannus contenderat.

Proximum est, ut adesse quoddam internum trilogiae vinculum, in argumento potius quam in forma positum intelligatur, ita tamen, ut quale id sit aut omnino non aut obscurius indicetur. Suspicatus est eam trilogicae compositionis rationem vir et ipse ingeniosus Genellius. Idea aliqua tres trilogiae fabulas quasi vinculo teneri non semel is est professus ***). Sed frustra jam quae sit aut qualis illa trilogiae idea ex eo quaesiveris, nec sane habemus quod certius de ejus sententia proferamus. Loquitur quidem de certo rerum progressu, in altius dicit a primae tragoediae initio ad finem usque tertiae ascendere res et augeri, sed quantum id valeat ad trilogiae consilium perspiciendum ipse videas. En, referam, quem in Orestia progressum statuat. In Agamemnone rem ait infeliciter potius quam improbe gestam repraesentari, in Choëphoris jam plurimum ethicam agendi rationem valere, a deis e longinquo saltem praevisam et procuratam, tertiam denique totam apud deos esse et cardinem rerum in conditione versari divina (pg. 161.). Alio loco (pg. 21. Not. 20.) in fabula trilogiae secunda rem dicit suspensam teneri idque non sine rerum futurarum tristi praesensione. Ad haec fere redeunt, quae passim vir doctus monuit, eaque ipsa ut consilii trilogiae interpretem magis perspicue loquentem quaeramus, nos impellunt.

Quid miremur, esse ab eo primum, quae sit trilogiae ratio distincte dictum, quem philosophiae Fichtianae sectatorem, gravioremque etiam et acriorem pulchri judicem quam philosophum fuisse scimus. Perspexit A. W. Schlegelius et, uti solebat, quasi praeteriens monuit formam tragoediae triplicem positione contineri, oppositione, conciliatione. — Sed nihil praeterea! scilicet ut aliis non tam interpretandae sententiae quam corrumpendae copiam daret. —

Haud profecto habemus, quem de cognoscendis Aeschyli trilogiis melius Welckero meritum dicamus, sed licet et ipse

*) Hermann. De comp. tetral. trag. 1819. Goethe. Opp. (ed. 1840) XXXIII. pg. 8 sq.

**) Beiträge etc. I. pg. 28.

***) Theater zu Athen pag. 21. 161. 194. etc.

Schlegelii sententiam sit amplexus, tamen quantum faciat ea forma ad peculiarem tragoediae dignitatem, non sensit. Eo enim quod mundi legibus et naturae humanae eandem formam inesse contendit, quum dignitatem ejus possit augere videri, minuit contra eo quod ne epico quidem carmini eam deesse adjicit. Rebus sane lex illa non deest, sed ut animae loco in rebus appareat, id non Homeri sed Aeschyli arte confectum est. Immo ab epico carmine tam aliena est ratio ista trilogica, ut uno ibi omnia eodemque tenore in infinitum trahantur, eodem omnia loco, eadem dignitate habeantur. Verum igitur non omnino quidem effugere potuit virum optime de Aeschylo meritum, sed quantopere veri cognitionem habuerit obscuratam ex loco praeterea pag. 538. intelligitur.

Jam qui tantum quantum oportuit Schlegelii sententiae tribuerit et ultra sit in ea explicanda progressus inter reliquos quoque doctos quidem et ingeniosos Aeschyli interpretes neminem video. Immo unam eandemque ideam per tres tragoedias duci Droysenius etiam, vir omnium maxime philosophus, habet satis dixisse *). Nam id quoque quod de conditione Aeschyli philosophica contendit, ne ingeniosius quam verius dictum sit, vereor. Mireris viri ingenium Heracliticum illud πάντα ῥεῖ ad Aeschylum transferentis, quippe qui eam in fabulis suis agendi et patiendi conditionem descripserit, ut tota vita continua quadam agendi et patiendi serie videatur constare. At quanto melius Aeschylus! Videlicet ut ne poena peccatum, crimen in infinitum crimen videatur subsequi, id ante omnia egit, in eo ars ejus tota versatur. Rebus afflictis modum, turbatis ordinem addidit, bello pacem, culpae veniam paravit, ab odio denique ad amorem, ab ira ad gratiam rem deduxit. Ubi est, dicas quaeso, tragicus ille Heraclitus, nisi forte fluere et in perniciem dicis omnia ruere quod sceleribus Pelopidarum finis in Eumenidibus et venia concedatur. Mihi certe, ut jam indicavi, Aeschylus non Heraclitum modo, quem epicum dixerim philosophum, superasse, sed — ut poëta quidem — hodiernam nostram philosophiam attigisse videtur. — Sed jam satis de Droysenio. —

Schoellium praeterea prae Schlegelii, Genellii sententiam laudantem, ceterum de vero Aeschyli componendarum trilogiarum consilio vehementer dubitantem nec certi quid proferentem habemus (p. 24. sq.).

Nos vero Schlegelii sententiam proxime veritati accessisse ea jam professi sumus quam supra ab epica poësis forma incipientes dedimus trilogicae rei explicationem. Superest, ut hac

---

*) In versione fabularum Aesch. (ed. 2.) pag. 551. et l. l. pg. 168. 17.

accuratius definienda Schlegelii simul sententiam veritati magis adaptemus. — Potuit haec sane simpliciter ita prolata non nimium valere ad persuadendum. Qualis enim est positio illa, oppositio et conciliato, quae est singularum tragoediarum conditio, qua denique auctoritate semper eundem fuisse apud Aeschylum trilogiae ordinem evincitur? Inde omnis orta de Schlegelii sententia dubitatio, inde confusio tanta, aucta ea praeterea observationibus e fabularum perditarum recensione prodeuntibus. Mihi vero omnis de hac re disputatio incipienda videtur a certa illa Orestiae trilogia, poterit in auxilium vocari Promethei trilogia cujus ex parte superstite, reliquarumque fragmentis satis ad has etiam circumspicere licet. De reliquis vero trilogiis non nisi admodum caute judicium ferre conceditur. Nam quum minime id improbemus, immo summa laude dignum habeamus, quod Welckerus moliebatur ut colligeret tot disjecta membra poëtae et de singularum tragoediarum nexu et argumentis quaereret: id tamen ne doctissimi quidem et ingeniosissimi viri hodie viventis esse contendimus, ut artem Aeschyli ex ista fabularum ruina eruat. Qua in re jam video nonnunquam Welckerum, saepius Droysenium aequo longius esse progressos. Ecquis nobis persuadebit eandem fuisse Aeschyli mentem quam Droysenius suspicetur fuisse? Taceo de viri elegantissimi lusu, ne dicam temeritate, quod singulis nonnunquam verbis a grammatico scriptore servatis certam tribuens vim certumque locum uti alter Brossesius mihi visus est agere. —

Ad Orestiam igitur accedentes crimen videmus in prima Tragoedia commissum, crimini in altera poenam oppositam, in tertia quod et crimine est et poena superius, veniam datam. — Quaeris quo jure Clytaemnestrae facinus crimen potius quam poenam dixerim, quam merito Agamemnon subiret, cur poenam tantum appellaverim Clytaemnestrae quod eodem jure crimen sit appellandum ab Oreste commissum? quaeris quo jure pacem illam in fine paratam poenae potius a Clytaemnestra datae et criminis contra Agamemnonem commissi quam ejus criminis dixerim finem cujus Orestes matris caede obnoxium se reddidisset? Habeo, quod ad utramque quaestionem respondeam. Est sane non innocens Agamemnon, punitur sane non ita Clytaemnestra ut nullum cadat in filium crimen, sed totum si spectaveris, ad nexum trilogiae perspiciendum si redieris, alterum igitur cum altero si comparaveris, leviter haud dubie Agamemnon cum uxore comparatus, graviter haec cum filio comparata peccasse tibi videbitur. Est sane neque crimen illic merum nec poena hic mera; sed nexum si non neglexeris, illic ad crimen, hic ad poenam rem summam redire fateberis. An credis lucem illam dialecticae ar-

tis Aeschylo exoriri potuisse, si res rationesque tam simplices et sibi constantes, certis et non mutandis finibus circumscriptas habuisset? annon in eo cernitur vis notionum dialectica ut simul sui sint indices et contrarii, ut in se inclusas habeant alias quas primo obtutu ab ipsis alienissimas dicas, iisque quasi sint refertae et gravidae? Ex rebus simpliciter sibi oppositis quomodo tertia possit eaque superior evadere, equidem non intelligo. Similiter neque Orestes nisi poena a matre sumenda crimen simul contraxisset, quomodo veniam potius quam praemium potuerit accipere, neque illud nisi crimen cum juris quadam specie in maritum regina commisisset quomodo accidere potuerit, video. Inde quoad nos Schlegelii partes tueamur et, spero etiam, quanto sit nostra sententia illius sententia praestantior intelligi poterit. Videlicet est Fichtii illud, thesin opponere antithesi, tertiamque his assumere synthesin. Sed qualis est ista synthesis! talis sane, qualem patitur aperta et simplex notionum oppositio. Non coalescit cum altera altera, sed mutuo se restringunt et impediunt. Idem vitium Schlegelii sententiae adhaerere neminem jam fugere potest, nec quadrat ea ad Aeschyli artem nisi ita mutata ut a nobis nunc factum est. —

Sed restat ut ad alteram etiam quaestionem respondeam. Id quod tertio in dramate agitur non Clytaemnestram pariter atque Orestem respicere vobis videtur, sed soli Oresti pro illa matris caede hic veniam dari contenditis. Responsum mihi ea res suppeditat quae oculis vel ultro se offert, ab omnibus fere interpretibus observata. Non solum Orestem Schlegelius ait sed totum quasi genus humanum a furiis liberari (l. l. p. 184). Abit Orestes criminis absolutus neque tamen res dramatis est peracta (cf. Mueller l. l. pag. 197). Quid multa? rei summa neque ad Agamemnonis necem neque ad Clytaemnestram neque ad Orestem redit, sed humanarum rerum ea tantum habetur ratio ut fundamento sint rebus divinis, id est ideis quae solae in fine apparent et ex humanis rebus quasi emergunt: crimen omnino et poena quomodo venia data tollantur et hanc esse et crimine et poena superiorem, id trilogia ista expressum esse fatebimur.

In Promethei vero trilogia facilius etiam in hunc modum comparatum esse poëtae consilium concesseris. Dei enim quum soli hic agant, ab ipsis rebus gestis ad ideam in altiore loco positam non opus est ut ascendamus. Illis quae accidunt, illi quae peragunt ab ipsius ideae motibus non differunt, ita ut haec in illis ipsa cernatur et quasi manibus comprehendatur. De singulis primi dramatis scenis satis securi, id tantum tenemus, Prometheum ibi furto commisso Jovis sibi inimicitias contraxisse, a Pro-

metheo Jovem esse offensum *). Jam sequitur vinctus Prometheus qua Prometheum videmus poenam facinoris crudelissimam dantem. Id igitur jam accidit quod prioris dramatis argumento vel maxime contrarium dicas, ita tamen ut neque ibi victorem Prometheum, neque hic habeas victum. Nam neque immerito habet Jovem sibi iratum, neque immerito ipse Jovi irascitur. Altero in dramate libertas prudentiae juncta et quid valeat et quid audeat, altero quid contra illam summa valeat vis et potentia humanitate fere omni et sapientia destituta experimur. Neque hunc non vinci victorem, neque illum non vincere victum elucet. Bellum illud deorum in pacem cedat necesse est et ita quidem ut numinum per se sibi oppositorum ipsa natura mutetur. Altera alteri cedit, ut obediendo vera sapientia, sapiendo vera exsistat potentia. Hoc satis certo scimus soluti Promethei argumentum fuisse.

Cum hac jam sententia ut conferamus atque conformemus varias virorum doctorum observationes opus non est. Sed — ut hoc unum afferam — animum quaeso advertas, quam bene nostra sententia id intelligatur, quod cum aliis Welckerus annotavit (pg. 489.) esse videlicet mediam trilogiae partem eam qua maxime moveatur animus et corripiatur. Oppositionis id esse, ut in animo quoque litem provocet, facile intelligitur. Eodem modo Aristotelis de tragoedia doctrinam ad nostram revocari posse, jam supra indicavimus. —

Reliquis vere trilogiis idem vindicare quum et longum sit et in plerisque ob fragmentorum paucitatem fieri nequeat, ne utile quidem videtur esse. In omnibus enim idem Aeschylum secutum esse consilium vel propterea verisimilitudine caret, quia difficile est eam semper legem servare quam non legis sed formae loco, non tanquam philosophus sed tanquam poëta habes. Id quidem vix a nobis impetramus, ut fabulas eas quas ipsa historia inter se conjunctas poëtae tradiderat, non credamus ad illam ipsam legem ab eo semper esse reductas. Scimus enim, quam semel animo concepta idea vim exerceat cui resistere nequeas. Sed facilius movemur, ut fabulas etiam nullo inter se cohaerentes vinculo, trilogias igitur quas non proprio eo nomine nominaveris, ab Aeschylo in scenam credamus atque certamen productas esse. Documento nobis sunt Persae cum Phineo juncta et Glauco quas fabulas ad eam Droysenius (in versione pag. 319.) ideam redire statuit quae nostram magis quam Aeschyli aetatem olet.

Ut breviter hic de dramate satyrico quoque dicamus, est

*) Cf. de argumentis fabulae primae et tertiae Welcker. l. l. pg. 7. sq. et 28 sq. Adde Droys. in versione pg. 399. sq. et 451. sq.

id ita comparatum ut omnem tragoediis antecedentibus severitatem et acerbitatem adimat et quod possit philosophiae et religionis cujusdam sanctioris videri, id arti rursus vindicet, quippe cui gravissima quaeque cum laetissimis miscere liceat. Bene laudavit Chii Jonis dictum Droysenius (in vers. pag. 334.), ingeniose Schoellius nonnulla de dramate satyrico disputavit, quae ad nostram fere sententiam redeunt; conferas etiam Welckeri dissertationem de dram. sat. in libro cui inscriptum est: Nachtrag zu der Schrift über die Aeschylische Trilogie pag. 185. seq.

Magna vero ea superest quaestio qua singulae singularum trilogiarum tragoediae Aeschyleae per se spectatae conditione fruantur. Welckerus primum, quod antea jam nos monuimus, singulas etiam tragoedias trilogiarum speciem eo reddere confirmat quod sint et ipsae tripartitae. Statim vero, ne quis ea externae formae similitudine decipiatur, prorsus aliam ait mediae partis cum extremis comparatae in tragoediis singulis esse atque in trilogiis conditionem (Trilogie pg. 493.). Ea quae sit, ibidem pag. 16. docemur. Saepissime enim quasi subsistere rem, personam introduci, nonnunquam a re ipsa satis alienam, exitum cunctando retardari, vim actionis vel magis eo augeri contendit *). Id quum a plurimis observatum habeas, jure tuo cur ita sit ex Welckero quaesiveris. Ille vero ad legem apud Graecos late patentem provocabit, qua certo ordine omnia et ita fieri voluerint, ut singula respondeant singulis, similia cum similibus componantur. —

In alia omnia Schoellius abit. Nam actionem in media tragoedia non solum negat lentius progredi, aut prorsus de loco non moveri, sed ipsa illa dramatis parte vel maxime progressum ait contineri, ea antecedentia colligi, sequentia praeparari (l. l. p. 26.). Ipsi videamus. Quid vero? in Agamemnone statim mediam partem quandam ab extremis distincturi, et tres quasi actus quaerentes nihil hujusmodi invenimus, locum vero qui minus ad actionem pertineat, sed totam rem eo fere modo quo chori carmina luce quasi collustret eum invenimus quo Cassandram poëta de Trojae, de Pelopidarum praeterita, de sua de Agamemnonis et Clytaemnestrae futura sorte verba facit pulcherrima et gravissima proferentem. In Choëphoris quid medium, quid extremum dicas non deest quidem sed neque certis quod finibus describere possis nec quod extra actionem sit positum aut quo retineantur res, quominus ad exitum perveniant, invenies. An est alia Eumenidibus conditio? Ego non video. At certe

*) Eandem medii totius trilogiae dramatis naturam esse Genellius dixerat. pag. 21. Not. 20.

aliam in Persis conditionem inesse non negabo? Concedam, si vis, Darii e mortuis evocati eam esse vim, ut rei, quae agatur, maxima inde lux afferatur et valde iniquus essem, si in medio dramate illum Darium positum esse negarem. Cassandrae vaticinia si cum Darii dictis contuleris, non multum repugnabo. Etiam ad Jonem in Prometheo pertinere, quae de mora dramatis actioni allata cum tot aliis Welckerum andivimus monentem, libenter dabo. In Septem adv. Theb. plurima inesse, quae epicae potius quam dramaticae rationi conveniant, manifestum est; quantopere vero sit in arbitrio interpretum positum quid medium dicant, vel ex eo patet quod Schoellius non tam istam nuntii narrationem quam pugnandi contra fratrem Eteoclis consilium medium tenere locum contendit. Poteris eodem pacto in Supplicibus aut hoc aut illud medium dicere, certam vero dramatis partitionem, mediamque partem aut morae aut progressus continere momentum, neque hic neque alias unquam efficies. Quid multa? insunt in tragoediis Aeschyli utriusque generis momenta; concedatur etiam, id quo quasi freno actio contineatur in media tragoedia aptissime esse positum, tamen neque semper rem ita se habere evinces, neque tres inde tragoediae actus efficies. Igitur ne est quidem accuratissime ubique observata ad quam Welckerus provocavit, symmetriae, ut verbo utar, lex. Sed hac vel optime observata fieri tamen non potest, quin illa epica ratione dramaticae immista, artis dramaticae leges laedantur. Quare etsi Aeschylum reprehendere est gravissimum, debuit tamen hunc potius quam Heerenium reprehendere Welckerus (p. 16. Tril.) Heerenius enim, nisi quod tres et ipse statuit dramatum Aeschyleorum quasi actus, rectius arti id tribuit nondum ad virilem aetatem provectae. *)

At quo nunc nobis ars illa praeclara Aeschyli abiit, tantopere modo a nobis laudata? An eam, quam sensit Aeschylus esse mundi legem, sola trilogiae forma expressit, ejusque in singulis tragoediis componendis oblitus est? Acsi legis illius nulla forma perfectior sit ea, quae trilogica compositione continetur, acsi non ob id ipsum minus perfecta sit praedicanda, quia partes, ex quibus actio tota constat, alteram post alteram profert! Itaque jam non legem illam, sed formam legi minus idoneam dissolvi videmus. Sunt sane tria illa actionis momenta in singulis etiam tragoediis, sed quia non ita insunt, ut alteram ab altero ordine excipiatur, id quod est trilogicae formae proprium, propterea vel maxime poëtam laude dignum habemus. Eam vero revera esse dramatum Aeschyleorum rationem, facile tibi persuaseris.

*) Conferas etiam Wieland. Museum Attic. III. p. 348.

Singulis Orestiae tragoediis hoc demonstrasse sufficiet. Habes in Agamemnone regem culpae profecto non minimae obnoxium sed multis modis simul et excusatum. Crimini isti statim ira indeque nata gravissima reginae culpa opponitur. Non deest quod tertio loco desideramus, caedis solatium, poenae a Clytaemnestra sumendae in praesens initium, futurae spes. Quare quem tantum ex rebus turbatis animo dolorem concepimus, sedatur idem et compescitur.*) — In Choëphoris porro quod ulciscendi criminis causa Orestes crimen committit, habet id poenam praesentem. In Eumenidibus denique Orestis facinus furiae persequuntur. Utriusque partis jura, immo poenae omnino et criminis jura judicio divino dijudicantur, nec quaeritur amplius:

— — — — ποῖ καταλήξει
μετακοιμισθὲν μένος ἄτης;

Eodem modo ubique in singulis Aeschyli tragoediis post dissidium pax exoritur, duobus sibi oppositis tragoediae momentis tertium additur, sed nullo certo ordine ponuntur, saepius vehementer commiscentur. Eventus praecipue qui sit fere semper non in fine tantum, sed ubique apparet. Quid ultimum sit id vel initio indicatur ita ut maturius vis doloris, quae est in sustinendo dolore, minuatur et confringatur.

Est hic maxime idoneus locus ubi de chori instituto pauca adjiciam. Videlicet redituram potius afflictis rebus quam praesentem adesse salutem, ut hoc sibi persuaderent, Graeci, qua erant natura, a se impetrare non poterant. Quare postquam agendis rebus in tragoedia locus est datus, praeter epicam rationem quam modo vidimus apud Aeschylum mansisse in singulis tragoediis, servata etiam sunt carmina illa quae ab agendis rebus ita animum revocarent ut quoque temporis puncto pacem haberet in promptu futuraeque salutis ne unquam quidem spem desideraret. Dissidium in fine solvendum ut ubique solutum haberent, chori opera effectum est. — Fuisse maximi momenti chorum apud Aeschylum quis est qui ignoret? — Id vero quam bene cum tragoediae Aeschyleae consilio congruat, ex iis quae antea disputavimus intelligitur. —

Jam quae fuerit rei tragicae apud Aeschylum conditio satis videtur expositum esse. Is cujus mentem primum cum vi quadam subierat legis illius sensus qua superiorem esse aliam negavi, distincte eam et graviter sed ingentibus et rudibus formis expressit. Jam vero quum periculum adesset ne mole formisque quasi obruta lex periret, ita mox contracta est et a formis ad

*) Placent, quae hac de re disseruit W. Humboldtius in versione Agamemn. p. IV.

rem revocata ut vix minus alterum inde oriretur periculum, ne, quae nimis antea, nunc parum videretur expressa. — Simul is trium trilogiae tragoediarum ordo exstitit ut, qui singularum tragoediarum nexus, idem ab altera tragoedia ad alteram viam muniret, ut continua quadam et non interrupta serie tum inter se singulae cohaererent, tum tota trilogia omnes continerentur. Fuit hoc pulchrioris et perfectioris formae poësis dramaticae initium. Periculum illud duplex, quod vitium duplex eodem jure appellaveris is evitavit, qui tragoedias simplices pro trilogiis fecit. Duo maxima de quibus diximus Aeschyli vitia ita quasi conjunxit et miscuit, ut virtus inde et summa artis perfectio prodiret. Id enim Sophocles est assecutus ut et omni formae immanitate et epica singularum fabularum ratione abjecta ad perfectum illud et laudatum tragoediae genus transiret. Apud Sophoclem triplicem formam non sublatam, sed singularum tragoediarum finibus coërcitam ad certum modum revocatam, et omnino ad pulchritudinis leges accomodatam videmus. —

Sed haec hactenus. Uti ab arte nunc nobis initium faciendum erat, sic in fine post diuturnum cum arte gestum bellum a philosophia religio Aeschyli excipietur.

§. 3.

Jam igitur ad id ipsum quod est caput totius quaestionis accedere possemus nisi viam quibusdam virorum doctorum commentis obstructam adhuc et impeditam videremus. Sunt eae de fontibus ex quibus sapientiam suam et naturae deorum cognitionem Aeschylus hauserit, interpretum opiniones.

Id fere semper hominibus placuit, ut, quae maxime essent abscondita ea maxime admirarentur, ea indagarent, de his aut comperisse aut certe dixisse aliquid, plurimi haberent. Accidit ita ut et Aeschylo tum plurimum se tribuisse existimarent, quum aut Pythagorae discipulum eum facerent aut ex mysteriis sapientiam ejus repeterent *)

Nituntur vero, qui Pythagoreum dicunt Aeschylum antiquitatis primum auctoritate. Sed quid ad Pythagoram attineat, quod philosophus Aeschylus a veteribus appelletur, me non videre confiteor. Annon consentiamus cum Athenaeo (VIII, 347), ubi dicit φιλόσοφος ἦν τῶν πάνυ? An hoc nomen nativa sua sapientia,

---

*) Quod rerum Aegyptiarum notitia eum imbutum dixerunt, id recte ex parte fecerunt. Sed quum harum rerum sit singularis quaedam apud Aeschyl. conditio et usus, alio loco de iis disserendum erit.

Idem vero aliis quoque evenisse, ut optima quaeque ab ipsis ad alios deferrentur quis est qui nesciat? Pindaro non minus, quam Aeschylo nativam illam ingenii vim invidebant. —

dictorum gravitate, ipsa arte sua non meruit? Modo ut rectissime de poëta concedamus poëtam judicasse: *ὅτι εἰ καὶ τα δέοντα ποιεῖ ἀλλ' οὐκ εἰδώς γε.* *)

Sed Ciceronem audiamus. „Veniat, inquit, Aeschylus non poëta solum sed etiam Pythagoreus, sic enim accepimus.“ (Tusc. Quaestt. 2, 10. in.) Vides summi viri testimonium eo quod ab aliis id se accepisse fatetur, debilitari, immo ad nihil reduci. Nos jam contemtis auctoritatibus num quae insint in ipsis Aechyli dramatis vestigia, de Pythagoreismo quae fidem faciant, experiamur. Sed oleum et operam perdere nobis videamur si omnia hunc in finem ab interpretibus, a Stanlejo potissimum allata repetamus. Multa enim non propterea quia cum Pythagorae placitis conveniunt, sed quia a vulgari opinione discrepant, temere illi laudarunt. Quaesivit — ut exemplum tantum afferamus — hunc in modum Hauptius **): „Quae de numeri vi atque exercitae memoriae praestantia teste Jamblich. vit. Pyth. 17 et 29 Pythagorei docuerunt, iis nonne simillima Prom. 459 sq.?“ ***) Simillima, fateor. Scilicet nisi Pythagoras id docuisset, quî scire poëta potuisset! Quid vero? quo magis est Aeschyli Prometheus praestantissimi ingenii testimonium, eo minus ab ipso Aeschylo tantum consilium profectum esse sibi persuadere potuerunt. Totam illam de Prometheo et Hercule narrationem, et qui tribuatur Prometheo honor, ad Pythagoreorum doctrinam haec omnia Hauptius retulit. Verum quantum differat poëtica ista qua Aeschylus Prometheum tractat ab illa philosophica ratione non vidit. Quum enim Pythagorei *μέσον* quoddam *γένος τῶν λογικῶν οὐσιῶν* heroum genus esse statuissent Aeschylus, non heroem aut deum inferiorem, immo cum Jove certantem dignumque Prometheum finxit cui vel ille morem gereret, cederetque quodammodo „pater divûmque hominumq.“ Sed jam diutius Hauptium morati sumus. Sunt ejusmodi et reliqua argumenta quibus Pythagoreum facere Aeschylum conabantur. In summa quaestionis id nobis maneat, ingenium Aeschyli nobilius fuisse quam quod Pythagorae quam sibi sapientiam debere maluerit, et esse ejus ex poësi ubique emicantem philosophiam longe Pythagorea illa in numeris fere omnino versante praestantiorem. Eam et alios vim tandem sensisse et agnovisse ingenii est mihi Droysenius testimonio (in vers. p. 555).

---

*) Athen. I. p. 22. A. Sciens scripsi. Quod enim propterea haec Sophocles de Aeschylo praedicasse dicitur, quod „*μεθύων ἐποίει τὰς τραγῳδίας*“ est ea adeo perversa verborum Sophoclis interpretatio, ut vel perversitate sua dicto fidem faciat. —

**) Quaestt. Aeschyl. specim. I. cp. V.

***) In citandis Aeschyli locis numeros versuum et scriptionem secutus sum editionis (G.) Dindorfianae (Oxonii 1832; accesserunt annotatt. 1841.)

Repetivisse ab **Anaxagora** permulta Euripidem, quanta **Valckenarius** doctrina exposuerit, quanta viderit mentis acie inter omnes constat. Sit vero cum tanti viri pace dictum id omnino incertius mihi videri quod de Aeschylo ipse pro certo habuerit. Patrem enim, non matrem esse liberorum originem, etsi nulli unquam fuerunt physici potuit dicere Aeschyleus ille Apollo *) (Eum. 658 seq.) Cum Anaxagorae vero opinione quum dicat **Valckenarius** et in eo Aeschylum consentire, quod increscentis in Aegypto Nili causam pariter atque Euripides in nivibus Aethiopiae quaerat calore solis liquefactis, (fgm. 290) ne ipse quidem hoc ab illo Aeschylum didicisse videtur centendere. **)

Quod porro ex **mysteriis** magnam sapientiae partem Aeschylum duxisse contendunt, id propius ad nostrum consilium pertinet Mysteriorum participem se fuisse poëta ipse, siquidem est ipse Aeschylus, quem **Aristophanes** nobis ostendit, satis aperte in Ranis 886. 887. profitetur:

Δήμητερ, inquit, ἡ θρέψασα τὴν ἐμὴν φρένα
Εἶναί με τῶν σῶν ἄξιον μυστηρίων.

Est praeterea historia quaedam saepius repetita de mysteriis in tragoediis ab Aeschylo temere vulgatis, de qua hoc loco quid sentiam afferam. Minima est apud Clementem Alex. (Strom. II. pg. 387) ***) auctoritas, qui vulgatorum mysteriorum accusatum Aeschylum propterea absolutum esse narrat, quia mysteria ad se omnino non pertinere (ἐπιδείξας αὐτὸν μὴ μεμυημένον †) demonstrasset. Aeschylum enim mysteriorum expertem fuisse quorum tanta ea aetate auctoritas fuit, adversantibus Aristophanis aliorumque quos mox audiemus testimoniis non ille mihi homo christianus persuadebit. Mala, ni valde fallor, Aristotelis interpretatione ea est Clementis orta narratio. Haec enim apud Aristotelem leguntur in Ethic. Nicomach. III. 2: Ὃ δὲ πράττει ἀγνο-

*) **Valcken.** diatribe p. 30 A.

**) l. l. ibid.

***) Loci huc pertinentes ab omnibus fere interpretibus sunt allati. Reperies plurimos eorum uno tenore descriptos apud Dind. ad fragm. 81.

†) Egregiam quidem veritatis speciem habet conjectura μεμνημένον. Tamen tenendam censeo vulgatam scriptionem. Crimina enim non voluntaria **Clemens** enumerat, alterumque eorum genus id esse ait, quum quis ἠγνόησεν — — — — τὸ πρᾶγμα ὃ πράσσει. Num vero rem ignorare et animum non advertere idem est? At — dixerit quis — quod **tertio** loco crimen posuit, id demum ignorantiae excusationem habet. Ipse videas, num hic sit sequentium verborum sensus: ἤ, inquit, ὅπερ πράττεται ἀγνοήσας τις, ὥσπερ ὁ τὸν ἀντίπαλον ἀφεὶς καὶ ἀποκτείνας οἰκεῖον ἀντὶ τοῦ πολεμίου. Est id et ipsum, fateor, ignorantiae crimen, sed non ita antecedenti oppositum ut illud non idem sit ignorantiae. In eo enim oppositio versatur ut crimen ibi reus committere fingatur, quod crimen esse nesciat, hic autem nesciens committere quod bene sciat esse, ut ibi ad rem ipsam (τὸ πρᾶγμα) hic ad agendum (ὅπερ πράττεται) ignorantia pertineat.

ἤσειεν ἄν τις, οἷον λέγοντές φασιν ἐκπεσεῖν αὐτοῖς, ἢ οὐκ εἰδέναι ὅτι ἀπόῤῥητα ἦν, ὥσπερ Αἰσχύλος τὰ μυστικά, quibus non id efficitur, mystica Aeschylum omnino ignorasse, sed quae ipse protulisset ea nefas esse proferre. Major vero de ipsa illa accusatione quaestio oritur. Quos enim praeterea ejus rei testes habemus, ii partim per se non nimia gaudent auctoritate, partim ipsa narratione fidem sibi minuunt. Criminis videlicet veniam Heraclid. Pont. (cujus testimonium Eustrat. affert ad locum Aristotelis supra laudatum) eam ob causam Aeschylum dicit impetrasse, quod et ipse vulnere teste fortiter ad Marathonem pugnasset et manus in pugna frater Cynaegirus perdidisset. Aelianus contra V. H. 5, 19. impietatis — de vulgatis enim mysteriis non loquitur — accusatum et quia manus jactura ab Aminia fratre Aeschyli minore in pugna Salaminia facta judices commovisset, absolutum esse tradit. Fuerint sane ad movendas lites proni Atheniensium animi, quod Boeckhius monuit*), quid hoc faciat ad comprobandam potius historiam quam ut ortam eam ex more isto Atheniensium putemus, ego non video. Potuisse vero oriri statim concedat necesse est, qui de vi cogitaverit, quae in accusatione tali et venia a judicibus concessa sit posita. Primum enim quanto eo crescat hominis dignitas si criminis poena digni propter virtutem aliquam crimine superiorem liberetur, quis non videt? Inde enim quanta sit virtus illa optime comprobatur. Vix opus est, ut Sophoclis mentionem faciam cui ni fallor diem dictam esse propterea finxerunt, ut poësin ejus vel de forensi periculo triumphantem deducerent**). Eodem modo illa Aeschyli lite tantum id valere, quod pro patria quis passus sit ut contractam etiam contra Deos culpam superet, ostenditur. Tum vero quantopere nova et insolita omnino de Deis doctrina vulgarem opinionem offenderit potuit sub criminis vulgatorum mysteriorum forma fabula indicari. Accedit quod simili ratione Euripides est accusatus, id quod facilius credimus***). — Suspicionem praeterea scriptorum dissensio auget. Hauptius enim quum ita quondam et Heraclidis et Aeliani auctoritati consulere voluisset, ut utrumque fratrem Cynaegirum et Aminiam Aeschylo deprecatores affuisse censeret†), non vidit quantopere sibi ipse contradiceret. Quum enim neutrius vellet fidem despicere utriusque vel maxime laesit. Quid enim? annon is melius tuetur scriptoris auctoritatem qui nomine quam qui re eum lapsum esse contendit? Re vero

---

*) In libro notissimo cui inscriptum est: Graecae tragoediae principum etc. pag. 39.

**) Locos huc pertinentes Hermann. exhibuit in praefatione ad Soph. Oed. Col.

***) conf. Valcken. ad Eur. Hippol. V. 612.

†) l. l. pag. 58.

lapsi essent et Aelianus et Heraclides, si unum nominassent ubi duo erant nominandi; nomine contra errassent, immo fortasse alter tantum errasset si fratrem unum Aeschylo patroni loco in ista lite fuisse recte, ceterum aut Cynaegiri aut Aminiae nomen falso exhibuisset. Sed de tuenda scriptorum illorum auctoritate Hauptius non cogitavit? Profecto mirer cur duos fratres Aeschyli manibus mutilatos fuisse quam unum verisimilius putaverit. Non volent profecto hodie etiam viri docti in veterum scripta pestem illam artis criticae introduci, quae in evangeliis inter se conciliandis tamdiu grassabatur.*)

Quae quum ita sint, Aristotelis vero testimonium non eodem laboret vitio, totam rem negare non audemus, ut omnino non de ea dubitemus a nobis impetrare non possumus.

Sed id quoquo modo se habet, allicet sane quaestio illa, num quaedam insint in tragoediis Aeschyli vulgatorum mysteriorum vestigia. Non est magna spes detegendi. Nam quo impietatis crimen sibi contraxit, num id litteris posteritati tradere ei permisissent? Vix mihi persuaserim. — At in verbis fortasse omnino non posita erat illa mysteriorum profanatio. Ea quidem est Lobeckii sententia quippe qui ad *δαδουχίαν* in fine Eumenidum eam velit referre.**) Id verisimilitudine carere non opus est ut ipse demonstrem. Tot enim virorum doctorum sententiis est ea jamjam rejecta Lobeckii conjectura.***) Ad Eumenides tamen et Apsinis locus redit, ita vero ut in universum tantum de magno quodam et confesso Aeschyli crimine loquatur.†) Neque omnes ibi de mysteriorum profanatione cogitarunt. Item de *ἀσεβείᾳ* tantum Aelianus loquitur, verbaque ejus *ἐπί τινι δράματι* ne ipsum quidem certi quid compertum habuisse docent. Certa denique ne ea quidem sunt quae Eustratius (l. l.) affert: de conjectura enim eum loqui manifestum est. *Δοκεῖ γάρ*, inquit, *Αἰσχύλος λέγειν μυστικά τινα ἔν τε ταῖς Τοξότισι καὶ*

---

*) Multo rectius jamjam de fratrib. istis Hermannus indicaverat Opusc. II. p. 166.

**) In Aglaophamo L. I. §. 12. p. 76 sq. Haud satis ipse sententiae suae confidere videtur. Haec enim addit: „Haec fuit nostra de Aeschyli crimine conjectura, si minus vera, certe nulli veterum testimonio contraria“ et quae sequuntur.

***) cf. e. g. Welcker, p. 104—110.

†) De arte rhet. cp. II. (p. 488 ap. Walz.): — — — *ἀλλ' ὡς ἂν οἷός τε ὦ δεῖξαι τὰ τούτοις τετολμημένα καὶ παραστῆσαι ὧδε παραδείγματος ἕνεκα οἷον οἱ ἐπὶ τοῖς Ποτιδαιάταις κρινόμενοι Ἀθηναῖοι καὶ ὁ Αἰσχύλος ἐπὶ ταῖς Εὐμενίσι καὶ ἐπὶ τῶν λοιμωττόντων Σκυθῶν καὶ ἐπὶ πάντων ὅπου μέγα τι καὶ ὡμολογημένον τὸ ἀδίκημα.* — cf. infra §. 12.

Si audacior essem, conjectura locum Apsinis mutarem. Fere enim adducor ut credam de Orestis crimine in Aeschyli Eumenidibus Apsinem loqui. Erat enim egregium ejusmodi criminis exemplum id quod contra matrem Orestes commiserat. Erat revera *μέγα τι καὶ ὡμολογημένον ἀδίκημα.* —

Ἱερείαις καὶ ἐν Σισύφῳ πετροκυλιστῇ καὶ ἐν Ἰφιγενείᾳ καὶ ἐν Οἰδίποδι *).

Quae quum lucis nihil afferant, eo ipso quodammodo docent, non magni momenti fuisse quae mysteriis Aeschylus debuisse dicitur. Nec dolendum est, quod quae et ubi fuerint ea ignoramus. Est sane tota Aeschyli poësis quasi crimen quoddam contra mysteria commissum. Haec enim quum sint secreta, timeantque ne in lucem trahantur, est ea contra poësis, quae secretissima quaeque et sanctissima in scenam maxime producat. Est poësis sanctior omnino quam mysteria illa quorum sanctitas nisi occulta servari non potuit. Huc quoque redit Hegelii (Aesthet. II. p. 58) et Droysenii (l. l. p. 555) sententia, nisi quod id ille Aeschylo crimini datum esse falso contendit, quod filiam Cereris Dianam esse dixisset. **) (cf. Herod. II, 156; Paus. 8, 37, 6.) Placet valde denique quod ingeniose Schlegelius dixit, propterea fortasse in hunc modum Aeschylum peccasse quod ipsa poësi simul ad mysteria aditum dari persuasum habuisset.

Quare si de summa poësis Aeschyli agitur, ne quis unquam eam aut ex mysteriis aut ex recondita illa Pythagorae disciplina fluxisse dicat. Est verissima contra, modo si sensum potius quam verba spectaveris, fabula ista quam Pausanias tradidit ***), Dionysum somnianti Aeschylo apparuisse, componendaeque tragoediae auctorem ei exstitisse.

Verum non de coelo ingenium Aeschyli delapsum esse volumus. Procreavit profecto, nutrivit et educavit aetas eum qua vixit nec gratias ei Aeschylus nisi pro acceptis beneficiis retulit. Quare si generatim ex sua eum aetate pendere dixeris, ad philosophos et ante eum et cum eo viventes ct docentes, ad omnia aetatis illius studia, ad animos Graecorum tot tantisque rebus tum excultos si provocaveris, non sine summa nostra consensione id feceris. Sapienter nonnulla in hanc sententiam Droysenius disputavit monuitque quantum Xenophani, Parmenidi, Empedocli, Heraclito aliis Graeci et cum Graecis unus ille Aeschylus debeat. In alia omnia Klausenius abiit. Hic enim sapientiae Aeschyleae aliquantulum ad Epimenidis et Orphicorum carmina referens, reliquis philosophorum principibus, ut Heraclito ut Eleatis non potuisse non adversari poëtam contendit. (Theolog. Ae. p. 10.) Cui nos cur non adversari non possimus docent

*) cf. Welck. p. 106 sq. et 276.

**) Auctore id contendit, ni fallor, Freretrio, quem Lobeckius refutavit in Aglaoph. p. 79 sq.

***) Paus. 1, 21, 2. cf. Lessingii libellum quem de vita Sophoclis conscripsit. Not. G. (Opp. ed Lachm. VI. p. 307.)

ea quae supra monuimus. Rationibus contra eum uteremur, si ipse usus esset. Nam quod Homeri amorem ad philosophorum dicit inimicitiam duxisse poëtam, id ipsum ratione caret. Ad hanc enim opinionem, quis unquam pervenire poterit, nisi qui ignorat et quae sit peculiaris Homeri et quae philosophorum dignitas. Homerum vero Aeschylo in deliciis fuisse, nisi per se fidem haberet, *) ex Aristophanis loco a Klausenio citato (Ran. 1034) non haberet.

§. 4.

Sed jam aequo longius a consilio nostro, initio quod professi sumus, sentimus nos esse abductos. Quae sit in poësi Aeschyli vis perspeximus. Jam quo pacto haec eo perveniat, ut cum religione confligat, disseramus necesse est. Summa vero et dignissima quaeque maxime poësis sibi vindicat, formamque eis adjungit perfectam rerumque divinarum propriam. Nam quum nihil non ad artem pertineat, est tamen nec tam sui conscia poësis, nec tam sui compos, ut humiliora quam sublimiora sibi conjungere malit. Ad ea igitur maxime adspirat, ea tentat, ea occupat, quae vel suo satis pondere, sua dignitate valent. Quare historiam primum poësis tragica sibi adrogavit et quidem eam, quae ideis magis quam factis constat, fabulas inquam vel, ut verbo utar, mythos, in quibus ubique deorum est praesens vis et potestas. Paullatim postquam quid sibi vellet illud: introite nam et hic dei sunt, intellexit, res etiam proxime gestas sibi adjungere ausa est. Documento sunt Persae Aeschyli et Phrynichi Μιλήτου ἅλωσις (Herod. 6, 21). — Saepissime vero ad antiquitatem refugit. Ibi ideas in promptu habuit nec tam in his eruendis quam ad normam istam supremam exigendis operam collocavit. Hanc formam rebus praeterea nuperrime gestis quasi speculum admovit, cum hac eas ita conjunxit ut quasi in luce quadam diviniore collocatae conspici possent. Est Orestia Aeschyli hujus rei egregium exemplum. **) Comoedia demum eo progressa est, ut quae sub pedibus essent ea lustraret et ad rationis normam artisque dramaticae formam exigeret. Sed haec alias. — Tragoediam in fabulosa maxime historia versantem, et ab ea, quae per se iam deis erat et religione plena ad hos ipsos, ad ipsam religionem ascendentem videmus. Itaque non Ulyssis tantum et Achillis, Pelopidarum tantum et Labdacidarum fata tractantur, sed res tota ad deos redit, a deis tota peragitur, in scenam prodit cum Iove totus Olympus. Eheu! quanta poëta

---

*) cf. Athen. 8, 347 E: — — Αἰσχύλου, ὃς τὰς αὑτοῦ τραγῳδίας τεμάχη εἶναι ἔλεγε τῶν Ὁμήρου μεγάλων δείπνων.

**) cf. potissimum Mueller. pg. 115 sq. Droysen. pg. 8 sq.

molitur! tenet sacra omnia lege illa sanctissima obstricta, poëtae dei obediunt, est consumpta et quasi absorpta a poësi religio. Ubique cum arte facit religio et quid ad hanc potius, quid ad illam pertineat haud facile dijudicaris. Est tamen dijudicandum et quod suscepimus negotium perficiendum. Nostrum est persequi bellum illud quod est inter poësin et religionem et triplicem quam iam antea diximus conditionem exponere. Totius igitur disputationis tria capita faciamus, quorum primo nunc de ea religionis cum poësi junctae ratione disseramus, qua tota huic illa obediat.

CAPUT I.

§. 5.

Tribus rursus illud poësis de religione imperium gradibus contineri patet.

Primum enim tanta est vis formae poëticae, ut aliunde argumentum sibi sumere spernat et ipsa id quoque sibi procreet. Nec formae quam rei, nec rei quam formae prius cogitatio subit poëtae mentem.

Proximum abhinc est, ut rem quidem a religione habeat poësis suppeditatam, sed ita statim hanc sibi vi formae propria subjiciat, ut sacramne rem ratione poëtica ornatam habeas an rem poëticam sacra specie indutam te nescire fatearis. Vim vero poësis hoc loco omnino nullam patitur, sed quum ea re vincat, in qua tota versatur, forma inquam ad rei veritatem proxime accedente, potest tota, potest profecto omnino vicisse videri.

Fatendum tamen, quum aliunde argumentum accipere didicerit non longe abesse periculum ne formae etiam ab arte profectae non amplius argumentum a religione profectum obediat. Verum etiamnunc in poëtae manibus est victoria. Res jam ita artis commodo discernitur ut quamvis certam et necessariam rei formam tribuere non valeat, tamen eam non magis suscipiat quam ex suo arbitrio inventam religio praebet. Eo, tertio hoc loco poësis probatur auctoritas quod, fortuita illa religionis forma sublata, forma rei adaptatur et ipsa fortuita potius quam necessaria, sed quam totam esse artis arbitrio positam confitearis.

His gradibus generatim ita et universe descriptis, ad singula est transeundum.

§. 6.

I. Religionis primum quae tota est apud poëtam unum tantum exemplum in promptu habeo, cujus mentionem Hesychio debemus (s. v. Αμφίδρομιος) Αἴσχύλος inquit Σεμέλῃ ἔπλασε δαί-

μονα καινὸν περὶ τὰ ἀμφιδρόμια, ὡς εἰ ἔλεγε τὸν γενέθλιον. Tragoediam istam gravidam primum (fgm. 209.) tum a Jove interfectam exhibuisse Semelen, natum denique et servatum ex ea moriente Bacchum pro certo haberi potest. Homo porro quum dignus nullus habitus esset natum deum, qui ex more Graecorum circa focum ferret, ad hoc ipsum daemonem Amphidromum ab Aeschylo esse excogitatum non sine veritatis specie Welckerus conjecit.*) Quod si certo sciremus, egregium haberemus artis Aeschyleae exemplum qua vel tenuissimas et simplicissimas notiones corpore quasi vestivit et ad oculorum sensum revocavit.**) Ceterum symbolicam hac in re eum secutum esse rationem concederemus. Nuda enim illa circumferendi notio significari quidem quodammodo sed non tota toto dei cujusdam corpore exprimi potuit. Sed quum certa omnibusque partibus firma non sit Welckeri conjectura, mittimus deum istum, id tantum tenentes, ab Aeschylo eum excogitatum in scenam esse inductum. Missis deinceps aliis etiam quae huc quis trahere velit, quum minus aperte solius poëtae inventionem prodant (cf. Klausen. l. l. pg. 134) ad ea iam nos convertimus, quae imperii a poësi in religione exerciti gradum secundum efficere contendimus.

§. 7.

II. Jam igitur dei sunt, quos religio manibus quasi poëtae ornandos et mutandos tradit. Latissime ea res patet, quam ut facilius et simul accuratius cognoscamus divisione opus est. Placet vero, immo res ipsa jubet, ita omnia amplecti quae huc pertinent, ut primum formam eam Deis animadvertamus adaptatam quam si externam dixeris non nimis me repugnantem habebis, habitum dico, vestitum atque ornatum quo instructos deos in scenam Aeschylus induxerit tum vero tragoediae et trilogiae leges, formam, si vis, internam diis videamus impositam.

(II.) 1. Quod ad id attinet cui primum dedimus locum minus id dramaticam quam, ut verbo utar, plasticam poëtae artem respicit. Non tam poëtae in eo ingenium elucet, quam artificis statuarum confectioni dediti. Videndum autem et quae et quales divinae personae ex officina ejus prodierint. Qua de re quum scenicum apparatum ante oculos non habeamus perpauca tantum ex ipsius scriptoris verbis conjicere licet.

Qui igitur dei ex coelo in scenam abierunt? Multi sane a Jove Optimo Maximo usque ad Nymphas maritimas aliaque infimae sortis numina.

*) l. l. pg. 329 adde Droysen. in vers. pg. 479. 480.

**) cf. quae de hac re a Schoellio sunt annotata l. l. pg. 434. 435. et infra §. 11.

Jovem spectatoribus Psychostasia ostendit in loco illo super scenam elato qui ϑεολογεῖον vocabatur, manibus trutinam gerentem, qua extrema Achillis et Memnonis fata ponderaret.*) Habes iterum poëtam tenuissimam et pulcherrimam Homeri fictionem oculorum adspectui vindicantem et levia epici carminis verba gravi scenico apparatu reddentem. Religionis est Jovem fingere fata regentem, artis epicae regendi rationem certa quadam imagine describere, dramaticae denique sensibus ita imaginem illam subjicere ut res ipsa, non imago tantum adesse videatur. Qualem praeterea Jovem formaverit Aeschylus non liquet. Licet vero conjicere, in Promethei partibus duabus deperditis eundem Jovem apparuisse, scire non licet.**)

Post Jovem num Junonem theatrum viderit haud dijudicarim. In Danaidibus eam affuisse est mera Droysenii conjectura (p. 331). Praeterea Junonis, formam sacerdotis prae se ferentis vestigia apud Platonem deprehenduntur (Rep. 2, 381. D.)***)

Apollinem porro in Eumenidibus invenimus arcu instructum cujus chordam ipse dicit auratam esse (Eu. 182.) De reliquo dei habitu, conjecturis qui delectantur Genellium (p. 217) et Muellerum (pg. 112) adeant.

Ibidem (Muell. l. l. Gen. pg. 230. 231.) Minervam invenient ex conjecturis satis commode ornatam. Eam aegidem manibus tenentem et sine alis curru advectam esse cui equi adjuncti erant, verba docent Eu. 404. 405†) In comparationem etiam quum venisset h. l. persona deae cum statua deae, quae esset peculiaris artificis, quae vis poëtae eluceret necesse fuit.††) —

Mercurius in Eumenidibus est κωφὸν πρόσωπον, in Prometheo vincto divini nuntii partes agit, in dramate denique cui inscriptum erat Phryges Mercurium affuisse scriptor vitae Aesch. docet (apud Dindorf. inter fragmenta sub titulo Φρύγες ἢ Ἕκτορος λύτρα).

Uti Mercurius sic saepe etiam Thetis in scena conspiciebatur. Notissimus est Platonis locus Rep. 2 pg. 383. A. quo Aeschylum dicit deam induxisse de Apolline querentem. Ad Psychostasiam ea pertinuisse est Wyttenbachii conjectura†††)

*) Locum tum Plutarchi tum Pollucis invenies fgm. 261. —

**) cf. Droys l. l. p. 458. 403 sq.

***) cf. Valcken. diatr. p. 11. Stallbaum. ad locum Plat. et quae Dindorf. disputavit ad fgm. 159.

†) Quomodo sit per aërem vecta et quid sibi velit illud ῥοιβδοῦσα κόλπον αἰγίδος non multum facit ad rem. Erat tamen ea de re interpretibus lis. Nuperrime de ea disseruit Wieselerus in libro: Conjectanea in Aeschyli Eum. pg. LXXXIV. Not. 77.

††) De statua ista verba fecit Stanlejus.

†††) Stallbaumio hoc debeo cf. quae ad locum Platonis annotavit.

Certo vero eodem in dramate proxime a Jove ab altera parte Thetin, ab altera Auroram stetisse scimus (cf. fgm. 261 et quae de Psychostasia supra monuimus). De Aurora statim addam quae ex Polluce (IV. 120.) ibidem afferuntur: ἡ δὲ γέρανος, inquit, μηχάνημά τί ἐστιν ἐκ μετεώρου καταφερόμενον ἐφ' ἁρπαγῇ σώματος ᾧ κέχρηται ἡ Ἠὼς ἁρπάζουσα τὸ σῶμα τοῦ Μέμνονος (filii). — Thetis vero iterum in Armorum judicio occurrit auctore schol. ad Arist. Ach. 883 (fg. 164.) Cum Nereidibus ibi in scenam prodiisse videtur. Chori partes hasce egisse titulus porro prodit Nereidum. Dominam Thetin hic quoque non defuisse verisimile est (fg. 142 sq.).

Bacchi praesentia haud dubie eae erant insignes Aeschyli tragoediae quae nihil habent quod non sit πρὸς Διόνυσον, eae inquam quae in describendis Lycurgi et Penthei fatis versantur. In Semele, quam Penthei trilogiae partem Welckerus habuit (pg. 328 cf. Droys. pg. 479) infans fortasse Bacchus aderat (cf. quae supra de daemone Amphidromo disputavimus), aderat praeterea certo scholiastae (ad Arist. Thesm. 135 fg. 55 et 115) testimonio in Edonis. Eo quod γύννις ibi a Lycurgo vocatur satis figura dei et habitus indicatur.

Venerem non minus Aeschylus inducere ausus est. Athenaei locum Dindorfius exscripsit (fg. 38.) Verba is Veneris affert, figuram non describit.

Magis in promptu est Boreae imago ex fgm. 265. Universa dei notio ita ibi ad sensus videtur translata fuisse ut vituperium inde poëtae sit natum. Quum enim venti auctor Boreas ex veterum opinione esset, ab Aeschylo est tibicen factus duobusque follibus mare commovens. Licet enim haec de eo praedicata tantum, non sub spectatorum adspectum ducta fuerint, quae mihi locorum a Dindorfio laudatorum verissima videtur esse interpretatio, non potuit tamen iis non respondere aliquatenus externa dei forma.

Qui porro Furoris (Λύσσης) fuerit habitus, nisi ex verbis quae in Xantriis dixisse fertur (sq. 155) et ex indole artis Aeschyleae, conjicere non possumus. Tamen admirari licet, quod iam saepius admirati sumus, vim poëtae tantam fuisse ut quae sola cogitatione amplectuntur, oculis ea subjecerit. Immo Λύσσα illa videtur fere tota Aeschyli esse. Cui enim deam facere furorem illum Baccharum ante Aeschylum in mentem venerit,*) neminem scio.

Neptunum, ni fallor, in Amymone invenimus, dramate illo satyrico de quo Welckerum consulas (Nachtrag pg. 308) et Droysenium (pg. 333).

---

*) „ἡ Λύσσα ἐπιθειάζουσα ταῖς Βάκχαις."

Tragoedia porro cui Circe nomen dedit profecto deam istam praesentem habuit neque sine Proteo fuit Proteus drama satyricum, nec Cabiri sine Cabiris. Possum Phorcides addere, Heliades, alia. Immo Proteum fortasse ex alia forma in aliam semper transeuntem theatrum ostendit (cf. Plat. Rep. 2. pg. 381. D. et Stallb. ad h. l.) Quanta enim sit ausus poëta Jûs discas exemplo, quam bovis nescio quomodo formam reddentem in Prometheo induxit, discas etiam Glauci exemplo quem quominus a scena alienum fuisse credamus verba vetant, quae sunt ipsius de se loquentis (fg. 25 et 28) cujus formam verba Aeschyli apud Phrynich. describunt: ἀνϑρωποειδὲς ϑηρίον ὕδατι συζῶν (fgm. 21 cf. etiam fgm. 27.) Chironis formam, quem in tertia Promethei fabula fuisse ex Prom. 1026 sq. et Apollod. (II, c. 5. s. 11 §. 12 p. 197 ed. Heyne) conjiciunt, ex Aeschylo non cognoscimus.

Apparatum vero scenicum non mediocrem fuisse, nisi Minervae currus jam docuisset, doceret Oceani, Nympharumque ornatus. Oceanus enim senex scenam ingreditur, alite invehens (Prom. 285) quadrupede (ib. 394) quem jussu, non freno moderatur; Oceanitides similiter, nescio utrum curru uno tantum alitibus juncto an pluribus, per aërem advolant (ib. 128. 135. 279.) Sedes postea relinquunt et nudis (ib. 135) pedibus terram tangunt saxosam (ib. 279.) —

Eadem Promethei fabula Vulcanum, Βίαν, Κράτος, ipsumque denique Prometheum ostendit. — Vulcanus fabri munere fungitur, de comitum ejus habitu vel ex ipso nomine judicare poteris, nec fallere nos ex verbis praeterea Roboris (sic enim liceat interpretari Κράτος) de forma ejus judicium sumentes, ipse Vulcanus est testis: ὅμοια, inquit, μορφῇ γλῶσσά σου γηρύεται (Pro. 78.) Vis vero, id est Βία, est muta persona, Robori haud dubie simillima. Ceterum persuasum habeas, alium poëtam non ausurum fuisse corpore indutos, viventes et agentes istos inducere deos, quibus vix cogitando divinitas conceditur*). — Prometheus ipse saxo affixus et immotus haeret. De reliquo ejus habitu nihil poëta indicavit. —

Jam de Furiis ab Aeschylo in scenam ductis superest magna quaestio. De numero quidem dearum non opus est ut largius exponamus. Nam quum Pollucis (4, 110) auctoritas ut quinquaginta furias Eumenidum choro attribuerent multos commovisset, fabulatoris eam esse auctoritatem Hermannus ostendit (De choro Eum. Opusc. II. p. 128 sq.) Fuerunt haud dubie quindecim apud Aeschylum furiae. Quae vero sit vis ejus numeri ad conditio-

*) Sunt apud Hesiod. Theog. 385 et ap. Callim. hymn. in Jov. 67. (Βία et Κάρτος.)

nem quae poëtae fuerit cum religione cognoscendam ad suum locum (§. 12) quaerere differamus. Nunc ad speciem revertendum habitumque scenicum qui non in numero est positus. Vitae Aesch. auctor fabulam profert qua tantum dicit conspectu furiarum terrorem esse ortum ut animam subito infantes efflarent, gravidae mulieres abortum facerent. Haec quantam habeant veritatis commendationem non difficile est videre *). Tamen quam addit scriptor tanti terroris causam non in eandem ea suspicionem incidit. Quam sit aptum furiis canum instar sceleratum persequentibus, ut singulae potius nullo certo ordine (σποράδην) quam uno et continuato agmine appareant, non opus est ut pluribus demonstrem. Quare quin et epiparodus chori (V. 244) et parodus σποράδην sit facta non dubito. De qua re meam omnino Wieseleri (l. l. p. LXVII Not. 57 et XLIII. N. 38 sq.) sententiae adscribas. Invenies ibi et reliquorum virorum doctorum sententias. — Quod vero ad ipsum furiarum habitum attinet, nostrum erit, breviter ea afferre quae ab ipso Aeschylo sunt indicata, de reliquis ad eos lectorem relegare, qui docte hac de re et copiose disputarunt.

Virginum primum sed senum virginum speciem furias retulisse versus te doceant 68. 69. uti et 1034. ubi παῖδες ἄπαιδες jam Schuetzius vidit idem esse quod παλαιαὶ παῖδες. Foedam formam 192. 193. Apollo iis exprobrat. Pluribus hanc sacerdos Delphica 46. sq. describit; confert enim cum Gorgonibus **) primum, tum cum Harpyiis furias, ita tamen, ut veram earum formam hac comparatione se assecutam esse neget. Porro ἄπτεροι dicuntur (51) — sed quae ἀπτέροις πωτήμασιν (250) celerrime persequantur Orestem.***) De nigris vestibus videtur intelligendum quod μέλαιναι (51) vocantur. Conferendi sunt versus 352. 353 (παλλεύκων δὲ πέπλων | ἄμοιρος, ἄκληρος ἐτύχθην) et 375. Guttas vero quas horrendas (54) ab oculis dejicere dicuntur in persona non pictas fuisse iure Klausenius censuit (pg. 53. Not. 61). Quibus iam adde somnum furiarum in soliis sedentium (47) μυγμὸν istum et ὠγμὸν dormientium (117 sq. cf. etiam V. 53.) carmina denique (ὕμνον praecipue δέσμιον 306 sq.) et saltationes earum de quibus utinam meliorem haberemus notitiam quam quae verbis et metris parum hodie nobis suppeditatur. Accessisse quodammodo totum furiarum habitum ad canum venatorum speciem suo iure Muellerus contendit, neque immerito huc illud λαβὲ retulit quod latrantium quasi per somnum sit canum (130),

*) cf. Hermann. l. l. — Droysen. pg. 577.

**) Quo pertineat haec formae similitudo Wakefield. dixit. — De lingua ex ore pendente Muellerus cogitavit (pg. 186.) Ceterum cf. infra §. 12.

***) Apud Eurip. (Orest. 304 ed Bothe) alis non carent.

retulit etiam quod saepius disertis verbis cum fera Orestes, cum canibus furiae comparentur (uti 111: *οἴχεται νεβροῦ δίκην*. 131. 246. 247: *τετραυματισμένον γὰρ ὡς κύων νεβρὸν | πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν*. etc.) *)

Hanc postquam ex ipso Aeschylo furiarum nobis imaginem composuimus, succurrit praeterea Pausaniae locus I. 28, 6 (cf. Appulej. de orthogr. 11 pg. 5 ed. Os.) qui primum Aeschylum angues furiarum crinibus implexisse asseverat.

Quod nostrum erat, perfecimus. Quales enim Aeschylus in scenam Eumenides induxerit, certis ex ipso potissimum petitis testimoniis docuimus. Eorum consilium, qui aliunde etiam ad imaginem istam plenius depingendam materiem sibi pararunt, non reprehendimus quidem, sed cum nostro consilio scimus nihil habere commune. Nonnulla invenies apud Muellerum pg. 184—186. Satis praeterea mihi placuit Genellii descriptio (l. l. p. 221. seq.) Est laudatus a recentioribus interpretibus fere omnibus Boettigeri liber, quem de furiarum persona composuit; quibus addas Wieseleri conjectanea pg. CXXXIII. et pg. 13. Verissime hic specie prorsus singulari neque antea cognita Aeschylum exornasse furias ex Pythiae potissimum verbis et loco Pausaniae modo laudato elucere contendit. Nuntium de ingenti ex adspectu furiarum orto terrore addere potuit. Haec enim fabulae videtur summa esse et sensus. Aeschylum vero seriores poëtas fere omnes in exhibenda furiarum imagine secutos esse, constat.

Superest alia quaedam nondum absoluta de furiis quaestio, quam dijudicare sentio huic loco esse maxime idoneum. Quaeritur enim furiae quarum in fine Choëph. fit mentio utrum spectatoribus revera apparuerint necne. — Est vero eundum in mediam rem. Orestes igitur, postquam multa de crimine modo commisso animo nunc ad spem, nunc ad timorem se vertente, loquutus est, subita exclamatione: heu, heu! inquit, istas Gorgonum instar, atra veste indutas, implexasque crinibus angues! Sed chorus falsa opinione eum deceptum putans, ut bono animo sit, eum adhortatur. Negat se decipi Orestes nec tamen mulieribus ut ita rem se habere credant, persuadet; de subita etiamtum insania cogitant. Interea gravius jam Orestes corripitur, plures jam furias videt easque sanguinem ex oculis in terram demittentes et ad chorum conversus; Vos, inquit, non videtis eas, ipse video! Ast pellor hinc ego; nec ultra manserim! Quo dicto, ut videtur, se proripit.

Tres iam, quantum equidem scio, ab interpretibus sententiae sunt allatae, quae vel ultro et non consultis interpretibus se offe-

*) Mueller. pg. 185 et 186.

runt. Aut propterea chorus furias non vidit, quia, quoties eo ubi erant, oculos direxit, toties furiae omnibus evanuerunt, aut aderant quidem semper, sed choro nescio qua vi divina adspectus non datus est aut denique omnino non affuerunt, Orestes solus eas videre sibi visus est. Est Genellii ea, quam primo loco posui, sententia (pg. 211, 212). Ter suspicatur emersisse, ter rursus evanuisse furias, ita quidem ut altera vice plures, tertia plurimae apparuissent. Sed quominus haec nobis probetur opinio, vel id obstat, quod Orestis verbis suspicioni, num semper furias ante oculos habuerit, locus non datur. Vix igitur opus est, ut fidem rei, annotata mulierum ineptia, diminuamus, oculos scilicet toties avertentium quoties maxime advertere debuerunt.

Hanc Muellerus feliciter ineptiam effugit. Eumenides enim inde ab eo tempore, quo primum ab Oreste conspicerentur, in scena permansisse censuit. Sed non fugit virum acutissimum, in aliam se difficultatem incidisse. Nam quum id potissimum sua sententia efficere vellet, ne alia in Choëphoris esse videretur atque in Eumenidibus furiarum conditio, hanc tamen eo jam ab illa differre sensit, quod hic quae vere adessent ab omnibus conspicerentur, ibi quamvis praesentes chori oculos effugerent. Fuit tamen responsum in promptu, quod non possumus quin aptum esse et verum profiteamur Ita se habet: quod Areopagitis dearumque comitibus, sacerdoti denique Delphicae licuit, mulieribus infimae sortis non itidem licuit. Est quaedam arctior illarum quam harum cum furiis necessitas. Sed graviore alia difficultate Muelleri sententia laborat, quam ipse aut non vidit, aut se vidisse dissimulavit. Itaque Hermannus gravissimus qui exstitit Muellero judex idemque adversarius in lucem eam protraxit.*) Qui fit, ut de ingenti terrore quo in Eumenidibus Furiarum adspectus populum affecerit multa, de simili vero terrore, ex adspectu, uti censeo non minus terribili in Choëphoris percepto ne verbum quidem dicant? Ad quod non video quid apte responderi possit, nec quemquam video respondisse. Attamen testimonium aliunde petitum majore sua gravitate hanc difficultatem superare poterit. Muellerus revera, quamquam nondum eadem se premi vidit angustia, attulit tamen quo iis — uti ait — morem gereret qui, nisi oculis viderent, rem vel maxime perspicuam non crederent, testimonium Pollucis IV., 132 coll. 121. Furias is dicit in theatro per ἀναπιέσματα quasi ex inferis in scenam emersisse Quaeris quid id valeat ad firmandam Muelleri sententiam? Videsne faciem viri laetam ut qui omnia se jam cum pulvisculo

*) In censura libri Muelleriani in annal. Vindob. (Vol. 64) primo exhibita, repetita multisque locis aucta in Opusc. VI. 2 pg. 134.

excussisse persuasum habeat? Audisne eum fortiter asseverantem haec non posse non ad locum istum in Choëphoris referri. At ne unquam asseveratio quae in verbis tantum versatur magis quam demonstratio, quae rationibus continetur, nos moveat, cavendum est. Annon alii etiam poëtae tragici, imitationis fortasse studio ducti, Furias afferre, annon ex orco quasi eas accersere potuerunt? Scilicet tragoediae veterum ad unam omnes integrae ad nos pervenerunt.*) Sed Hermannum mihi patronum sumo; is pro me causam dicere suscipiat. En: locum affert ex Pluto Aristophanis (v. 423) cum schol. quo Furias ab aliis etiam poëtis inter tragoediae personas positas fuisse evincitur. Quae quum ita sint, si ceterum de Muelleri opinione constaret, hoc libenter careremus testimonio externo; nunc vero, quum jam per se opinio illa sit labefacta, hoc omnino ad irritum reducitur testimonio.

Itaque victor hucusque Hermannus ex proelio abiit. Licet vero quod summorum virorum quasi arbitrum me praestiterim, id censeas arrogantius omnino me mihi sumpsisse, tamen judicanti mihi, recte Muellerum praesentiam Furiarum ob similem earum in Eum. et in Choëph. conditionem, huic etiam tragoediae vindicasse, non poteris non assentiri. Aeschylus enim si furias non tantum in animo insedere sed sensibus etiam se offerre semel est professus, qui fieri potuit ut non semper idem putaret? Scio quidem non esse eam Hermanni sententiam, quam vitio ei verti a quibusdam aegre tuli, in Choëphoris scilicet vim omnem furiarum ab Aeschylo in Orestis conscientia criminis nuperrime commissi positam esse, sed ne ei quidem assentiri possum quae revera est Hermanni sententia, animo Orestem ea praesensisse, quae mox ante oculos habiturus fuisset. Nam ne hoc quidem cum idea Furiarum quae in Eum. apparet, congruit. Ea hic cernitur vis Furiarum, ut, nisi praesentes peccatorem urgeant, nulla possit efficientia earum cogitari. Quare quid pulchrius sit, quo de loco copiosior est Hermannus, non quaerimus, nisi quod ne pulchritudinem qui-

---

*) Verba etiam Pollucis ita comparata esse, ut per se non bene de certa aliqua fabula intelligantur ipsa te doceant (IV. 131): τὰ δὲ ἀναπιέσματα, τὸ μέν ἐστιν ἐν τῇ σκηνῇ, ὡς ποταμὸν ἀνελθεῖν ἤ τι τοιοῦτον πρόσωπον, τὸ δὲ περὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, ἀφ' ὧν ἀνέβαινον Ἐρινύες. Imperfectum enim ἀνέβαινον aperte verbis respondet antecedentibus ὡς — πρόσωπον habetque utrumque rei saepius repetitae significationem. — Quis vero — ut hoc etiam addam — ad hanc unam fabulam theatrum hoc modo instructum fuisse credat? — Ceterum — ut vere dicam — utrum Muellerus de una tantum Choëph. fabula an aliis non exclusis de hac etiam Pollucem cogitasse opinetur non omnino liquet.

dem summam sine fictionis poëticae constantia adesse posse pro certo habemus.

Verum enimvero in tanto rerum discrimine quae tandem patet salutis via? Suntne visae Furiae in fine Choëph. an non sunt? Ad quae jam posse puto simplicissime responderi. Orestes eas vidit, chorus non vidit, theatrum non vidit. Id quomodo fieri potuerit, quaeris? Locum censeo aut digito aut oculis modo Orestes indicavit, quo ipse Furias conspexit. Hunc locum Furiasque ibi constitutas spectatores oculis attingere non potuerunt: est enim post scenam accipiendus; chorus utrum ex opinione spectatorum eum assequi potuerit necne, in suspenso est. Nam eodem iure aut loci difficultate quominus Furias videret, aut vi quadam divina chorum impeditum fuisse contendes. Ut adessent loco isto post scenam posito Furiarum personae non opus fuisse, sed histrionis artem, se videre simulantis suffecisse, vix necesse est monere.

§. 8.

(II,) 2. Jam pro rei obscuritate satis cognita, ut spero, plastica poëtae arte qua de coelo in scenam deos vocavit, ad illam transimus, de qua ex tragoediis superstitibus judicare magis in promptu est, quam largius supra explicavimus, positam eam in forma rerum dramatica, et in trilogiarum et in singularum tragoediarum compositione conspicuam. Haec jam forma quomodo cum deis egerit, videndum est. Sed quo latius haec quaestio patet, eo minus uno quasi amplexu tota potest teneri. Tum rerum divinarum, tum illius formae habita ratione tres exsistunt quaestionis ejus sive partes sive gradus, quibus demum pertractatis omnem nos materiem exhausisse persuadere nobis poterimus. —

Vidimus enim uti in calyce florem, ita in chori carminibus actionem dramaticam inclusam teneri. Itaque quae sit deorum erga chorum conditio, primum exponamus. — Deinceps eam aggrediamur deorum cum forma dramatica necessitatem explicare qua hi pertineant quodammodo ad actionem dramatis, ita tamen, ut non tota haec per illos conficiatur. Tertium erit, ut quasi in ipsis deis formam istam versantem deprehendamus.

§. 9.

(II, 2,) a. Chori natura, ab agendo, ut diximus aliena iis personis convenit quarum natura et ipsa non vi pollet agendi, sed quarum cantibus motus illi tragoediae gravissimi sedantur. Ab heroibus igitur hominibusque singulari quadam dignitate praeditis, qui quid possent valerentque non ignorarent, ab his res

tragica agebatur. Nam de deis adhuc taceo. Ad servos contra ea, in quibus nulla agendi vis et voluntas, qui ex aliis penderent et patiendi potius quam agendi sortem subirent, ad homines certe qui nihil singuli, aliquantulum vero multitudine valerent, ad hos chori partes pertinebant. Itaque quum ad deos res pervenit, inter hos quoque inventi sunt, ad quos chori justius quam agendi partes conferrentur. Notio enim divina optime se habet, si ad unum referatur deum et optime deus se habet, si omnibus ex partibus sit certis finibus descriptus, nihil si habeat ab ipsa illa notione alienum, nihil si in eo desideretur, quo demto notio illa perfecta videri nequeat. Contra si est infirmior notio divina, quam quae Deum possit efficere unum, eumque certum et suo honore nitentem, Deos quasi gignit, quos singulos nullius, conjunctos parvi momenti esse dixeris. Nam quod nomina singulis dantur, id habet speciem magis divinitatis quam veritatem. Singuli enim nullo certo discrimine inter se differunt. Est una omnium eademque significatio. Divinitatis, ut ita dicam, particula aliqua per tot deos est quasi diffusa, ut ipsa horum multitudo parum singulos valere demonstret. Numero enim, uti errore late vagante fieri solet, notioni illi succurritur, quae gradu et per se nihil valeat. Inde tot deorum greges, inde Titanum progenies, Nereidum Nympharumque familiae, quas singulas vix enumeraverim. Has vero choro tragico aptissimas esse quis non videt? Non tam agendo quam solo nomine suo et natura, chorus similiter non agendo sed canendo valet. Quamobrem prudenter egit Aeschylus quum orchestram hisce assignaret, ad ipsam scenam majores tantum deos admitteret.

Eas partes Oceanitidibus primum attributas videmus. Dum res illa agitur, qua major nulla unquam est acta, poenam dum luit magnus ille Prometheus, Nymphae tantam deorum litem piis consiliis volunt ita componere, acsi non de summis rebus certaretur, acsi sine summa utriusque partis contentione verbis res confici posset. Pacem quae quasi latet in bello, quae nisi bello parari non potest, hanc illae vel sine bello cupiunt. Uti Ventorum motus quum in mare inciderunt, maris undis quasi redduntur simulque franguntur, sic fata Promethei ab illis pectore excipiuntur, planctibus redduntur, carminibus leniuntur. Ne spectatorum animi labantur aut de pace et salute desperent, Nympharum chorus nimios animorum motus canendo levat et restinguit. Quod in fine nihilominus, quamvis a Mercurio admonitae sortem crudelissimam fugere nolunt, id quanta arte ab Aeschylo sit institutum, vix dicere possum. Jam enim chori partes sunt actae. Haud profecto est earundem summa ista in extremo perferendo malo constantia (Pro 1063. sq.) et summa in audiendis aliorum

miseriis animi inconstantia et ignavia (ib. 692 sq.). Agnoscas igitur necesse est poëtae manum id agentis ut suum cuique tribuat. Jam de choro ipse quasi ultimam sententiam dicit. Est is alienus a re dramatica nec nisi abjecta sua natura summo tragoediae consilio potest respondere. Ut plurimum itaque Prometheo honorem vindicet et interitum ejus festivo splendore exornet ad fata ejus mulierum fata Aeschylus annectit. Vincit adeo in fine vis tragica ut lyricum omne solatium contemnatur.

Alterum exemplum divini chori Nereides sunt. Tertium Titanes qui chorum composuerunt in Prometheo soluto. Fragmento 181 quam fuerit similis horum conditio cum Oceanitidum conditione modo exosita discas. Num eodem modo Oceanitidum (Welck.) aut Cyclopum (Droys.) aut qui alius primae ejusdem trilogiae fabulae chorus additus erat, se habuerit, equidem haud dijudicarim.

Set, ut iam vidimus, haud ea in tragoediis Aeschyli est orchestrae atque scenae mutua conditio, ut nihil in illa agatur, quod ad tragoediae decursum pertineat, nihil in hac fiat, quod chori partium potius speciem prae se ferat (cf. §. 2.) Exstat praeclarum hujus rei exemplum in choro Eumenidum. Quasi duplices partes hic repraesentat. Pertinent enim Furiae quam maxime ad ipsum tragoediae argumentum. In discrimine, quod inter Furias intercedit et deos recentiores, conciliando tragoediae summam esse positam, certissimum est. Sed non agendo tantum, sed ita simul in illa inimicitia mutuaque lite versantur, ut, quid ipsae de ea sentiant, quomodo ea moveantur, ab agendi conditione quasi recedentes, canendo exponant. Duplicem hanc agendi canendique rationem cum ipsarum natura optime congruere patet. Est enim notio gravissima quam ad Furias veteres deferebant. Certissimo quodam et verissimo discrimine deis recentioribus sunt oppositae. Est porro vis earum tota in exsequenda ultione posita, ita ut et agere optime eis conveniat et ut ipsa natura ad tragicum illud contra deos recentiores certamen eas deducat — Altera vero ex parte ea ipsa natura majore dignitate eas privat. Vix enim dignae videntur, quae una cum summis deis in scena appareant, et eodem quo isti agendi jure fruantur. Neque id postea ab Aeschylo iis concessum est et Sophocles tantum hac in re ab illius imitatione abest, ut summa cum religione vix vocare eas nedum ostendere audeat. Est praeterea infirmitatis earum testimonium quod nullam singulae, omnem tantummodo conjunctae auctoritatem sibi adrogant. Id quod soli per se Apollini pariterque Minervae contigit, ut personae locum uterque expleret, id universae tantummodo gregi Furiarum concessum est. Efficiunt multae quasi unam personam; altera

ab altera non est diversa sed quae est omnium vis, eadem est singularum, ita tamen ut conjunctae demum vi illa re vera valeant. Hinc igitur sequitur ad chori partes eas non minus idoneas fuisse.

Restat, ut satyros dramatis satyrici commemorem. Lascivam istam deorum gentem chori legibus eodem pacto respondere, quo Nymphas reliquasque diximus respondere, manifestum est.

§. 10.

(II, 2,) b. His de choro disputatis, in scenam ascendimus. Lis illa tragoediae, de qua satis loquuti sumus, transigitur. Cujus partes inter deos veros eosque quorum per se quisque personae dignitatem est assecutus, distributas videmus. Sed priusquam totam amplectimur litem, eorum deorum conditionem respiciamus necesse est, qui quamvis attingant quodammodo actionem, tamen in mediam rem non perveniunt. Sunt ii, litis illius summique rei tragicae discriminis, ut ita dicam, momenta. Non omnino sed ex parte tantum eo discrimine ipsi affecti sunt; leviter tantum tanguntur, intrant non eo pacto, ut ibi remaneant sed ut mox abeundi veniam nanciscantur. Quae si hac mea descriptione nondum satis perspicua sunt reddita, exemplis tamen spero fore ut satis superque illustrentur. —

Haerendum est iterum imprimis in Promethei fabula, prodeantque iterum Vulcanus cum immanibus comitibus suis, Oceanus, Mercurius et si nunc lux ei videatur optabilior, Chiron. — Ex adverso sibi oppositi sunt Jupiter et Prometheus. Apud hos res summa versatur, hi primum ad bellum gerendum, postea ad foedus faciendum conveniunt. Jam vero res ista maximi momenti non potest non tangere reliquos etiam deos. Habet suos Jupiter ministros, habet suos etiam Prometheus assectatores. Quo efficitur ut, qua quisque est natura, quo quisque munere fungitur, quibus denique rebus tangitur, ita magis minusve litis illius particeps fiat et aliquatenus eâ se implicari patiatur. Ad Jovem primum pertinent crudelitatisque et injuriae qua Prometheum afficit ministros Vis cum Robore se offerunt. Accepit has poëta personas certo nomine, simulque certo honore donatos ab Hesiodo *) adque tragicum suum consilium optime eos adhibuit. Afferunt isti quem validis manibus comprehenderunt Prometheum.

Similiter Vulcano affigendi munus prudenter est commissum, ita tamen ut medium inter Jovem et Prometheum locum teneat, quippe qui cognatione et familiaritate cum Prometheo conjunctus non nisi invitus in vincula eum conjiciat.

*) cf. Hesiodi et Callimachi locum supra laudatum. —

Mercurii porro naturam non minus prudenter perspiciens, plane deditum eum Jovi poëta effinxit, nec potuit alium invenire cui aptius conviciatoris et nuntii fatalis munus mandaret. Altera ex parte satis esse putans in solo Prometheo virium quippe quem praesentem etiam induceret quum absentem fingeret Jovem, minus partes ejus aliorum deorum officiis auxit et honestavit. Respondet tamen quodammodo Vulcano Oceanus. Quae huic a religione natura erat attributa, permisit ea poëtae, accedente cognatione, ut probum eum Prometheo amicum adjungeret, ita tamen, ut et consilio eum et constantia Prometheo longe inferiorem faceret. Respondet etiam summae Mercurii fidei quam Jovi servat ea quam in fine chorus erga Prometheum pietatem profitetur. Sed iam antea vidimus eum non esse proprium et perpetuum chori animum. Jo denique quantum faciat ad augendam Jovis iniquitatem hic dicere nihil attinet, ubi deorum tantummodo rationem habemus.

Hos vero deos postquam partes vidimus accepisse quibus magnae illius deorum litis participes fierent, deum nobis Prometheus solutus affert, si qua est, quae profecto negari non potest, Welckeri conjecturae fides habenda,*) deum inquam non belli sed pacis post bellum factae adjutorem Chironem. Sed non solum hunc sed magis etiam quae de aliorum deorum simili in deperditis tragoediis conditione conjiciuntur pro incertis mittamus, unum praeterea Mercurium denuo adituri.

Orestem hic in Eumenidibus a fratre Apolline pie custodiendum et conducendum accipit. Quam sint mutata omnia in Eumenidibus, hanc si cum Prometheo comparaveris, statim intelliges. Ideo et alius hic Mercurius adest, ita tamen ut Jovis nuntium, deorum recentium partibus adscriptum, Mercurium — ut uno verbo dicam — qualem Graeci pio animo credebant — hic quoque cognoscas. Mutatum vero fabulae consilium, rerum conditio hac in fabula prorsus alia et diversa alio quoque munere deum donavit, alia agentem, aliter se gerentem eum exhibuit. Quid multa? stat ille a partibus Minervae et Apollinis, iam non Promethei sed Eumenidum adversarius. Quare quum summa in hac tragoedia deorum recentium, eorum praecipae, quibus iura civilia, pacis leges et maxima quaeque ad humanitatem pertinentia cordi sunt cum deis antiquissimis illis strenue naturae leges tuentibus lis sit, non in media hac lite positus est Mercurius, sed praeteriens tantum in scenam ingreditur, et caput postea rerum apud Apollinem et Minervam manet. Hi duo sacras illas humanitatis leges maxime curant et paullo minus eaedem ad Mercurium

*) cf. Welck. p. 47. 48. Droys. p. 459. et supra §. 7.

quoque pertinent. Sapienter itaque id quoque Aeschylus instituit quod satis habuit comitem eum Oresti adjungere et levem quandam eamque non ipsius consilio sed fratris jussu susceptam curam ad eum deferre, sapienter id quoque, quod et mutum eum et — ut videtur — semel tantum in scenam induxit.

§. 11.

(II, 2,) c. Arctius arctiusque lege dramatica deos videmus obstringi. Jam eo res pervenit, ut quasi habitare lex illa inter deos videatur. Deorum res ad hanc regulam rediit, neque aliam apparet esse deorum vitam et naturam nisi quae ad hanc divinam et unicam formam sit composita. Id quantum valeat ad dignitatem tum religionis tum poësis non ita difficile est intellectu. Religio primum cur vincula ista aegre ferret profecto non habuit. Nam quum lege niterentur et verissima et ea quam mox ipsa religio, ipsa denique philosophia sibi ultro impositurae erant, in libertatem potius, quam in servitutem ea deos vindicasse quis est, quin videat? — Ars contra ea quum formam istam quasi vas quoddam quo res omnes continerentur, divinis iam potissimum personis, rebusque a deis gestis impleret, mirum quantum a sua potest natura aberrasse videri. Nam quum arte praecipue effici debeat, ut res omnes in terra collocatae in coelum efferantur, ut humana omnia divino splendore splendeant, ut ubique deos praesentes esse appareat, accidit iam, ut lege illa suprema ad deos relata mundus eaque omnia quae in terra et ab hominibus geruntur, forma illa quodammodo destituta, divinitate privata esse viderentur. Quam ob rem Sophoclem egregium illum humanitatis patronum Aeschylo multo sapientius egisse tuo jure tibi persuaderes, nisi vestigia apud hunc deprehenderes, quibus deos non tam in ipsis rebus humanis, divinitatem in ipsa humanitate quam extra terram et externa nescio qua ratione hanc cum illa junctam sibi finxisse argueretur. Inde vitium gravissimum illud ad eum pertinere potuit, ut fabula — ut verbo utar Aristotelico — *ἀπὸ μηχανῆς* exitum haberet, id quod scio ab Aeschylo alienissimum esse. Loquor de Philocteta.

Ad Aeschylum vero redeuntes, aliam tragoediarum partem in hunc modum compositam invenimus, ut Sophocleo magis more ab hominibus res peragantur, a deis quodammodo tantum iisque e longinquo positis gubernentur, aliam deinde, qua res initio quidem penes homines tota versatur, postea demum ad deos transfertur, aliam denique quae „*διὰ μόνων οἰκονομεῖται θεῶν*". *)

---

*) Sunt verba vitae Aesch. auctoris. Exemplo ei sunt *οἱ Προμηθεῖς*. — *Τὰ γὰρ δράματα*, inquit, *συμπληροῦσιν οἱ πρεσβύτατοι τῶν θεῶν καὶ ἔστι τὰ ἀπὸ τῆς σκηνῆς καὶ τῆς ὀρχήσεως θεῖα πάντα τὰ πρόσωπα.*

De illo primo dramatum genere nunc nobis sermo esse non potest. Nunc enim quem in religione poësis principatum exerceat quaeritur. Alterum genus magna ex parte, tertium vero totum huc pertinet. —

In Orestia primum ab Agamemnone, Clytaemnestra, Oreste ad deos res paulatim perducitur. Qua ratione id fiat in posterum quaerere differamus. Nunc sola illa Eumenidum deorumque recentiorum lis qua in re versetur, quomodo transigatur, qua denique ratione lex ista suprema hic expressa sit, quaerimus.

Quorum sit illa lis, in aperto est. Eumenides enim quis non videt cum Minerva et Apolline certare? Mercurio jam antea (§. 10.) suas partes attribuimus. A Minerva vero Apollo ita differt, ut magis sit penes hunc exortae litis causa, penes illam dijudicandae et componendae facultas. Duos vero hosce deos recentiores quodammodo omnes repraesentare disertis ipsius tragoediae verbis evincitur cf. imprimis Eu. 731.

Causa quae sit, ex aliis primum viris doctis quaeramus. Muellerus vero quum id potissimum ageret, ut in movendis varii animi motibus maximam poëtae artem positam esse demonstraret, a vi poësis illius vera cognoscenda vix dicere possum quantum abfuerit. Psychologicam eam interpretandi rationem iam antea rejecimus. Praeterea vero omnia tragoediae nostrae ad reipublicae statum qui tum fuerit, ait ita accomodata esse ut summa res in fine ad Areopagi institutionem rediret (p. 115. sq.). Quo in consilio exponendo Droysenius quoque diutius est versatus (p. 31 sq.). Jam etsi eam esse scio Droysenii prudentiam ut bene altiorem quoque quae dicitur dramatis ideam perspicere possit, miror tamen, quod tam multa de illa politica trilogiae ratione disseruit, de interiore sensu ne verbum quidem addidit. Quare quod ipse nunc sum additurus, satis gauderem si id e Droysenii mente dixisse viderer. Praeclaram videlicet Aeschyli artem sed magis etiam nobilem illum et dignum philosopho animum in eo quoque admiremur necesse est, quod suam de regenda civitate, de publicis institutis sententiam cum summis de rebus divinis ideis conjunxerit, ad has omnia ita retulerit, ut de iis vel solis curasse possit videri. Animadvertisne causam deorum potius quam civium hic agi, deorum, non civium hic simultates et inimicitias conciliari? Sed et Areopagi praeclaram illam commendationem audis, libertatisque legibus temperatae laudes. Quo potius animum convertas nescis: Sunt et illa gravissima et haec dignissima. At habebis sane idoneum quod sequaris consilium, si totum poëtae te dederis. Tum haec ab illis non toto coelo differre sed unum intelliges esse idemque. Est profecto, uti ab Aeschylo docemur, nullum arctius vinculum, quam quo hominum iura et

instituta, res civiles vitaque publica cum divinis rebus cohaerent. Sed quae sint ea jura, quae sit illa divinarum humanarumque rerum conjunctio posthac videbimus.

An nos ideam illam quam quaerimus Schlegelius docebit? Poteritne is eam docere, symbolica qui utitur interpretatione? Utrum in primordiis artis, ubi rationem symbolicam plurimum valuisse constat, an apud Aeschylum tragicorum principem versamur? Ibi sane versamur, ubi symbolicae interpretationi est minimus locus. Immo idea aliqua ita arte expressa est, ut non aliquatenus indicetur, sed tota adsit, formaque ut omnibus ex partibus rei respondeat. En habeas quam Schlegelius fabulae nostrae sensum esse contendit. Esse quosdam etiam rationis strenue virtutem iubentis fines, quos vetante natura transgredi nefas sit. Scilicet id est furiis concedere locum, quo iis securis habitare liceat! (l. l. pag. 155.) — Sed sibi ipse Schlegelius non satisfecisse videtur. Quanto enim rectius alio loco monuit, una cum Oreste quasi totum genus humanum a furiis liberari! Utinam illud: quasi omisisset et utinam in hanc sententiam plura disputasset.

Rectius paullulum Solgerus (l. l. pag. XV.) tragoedia nostra vivam ait et veram libertatem vindicari, pugnam hic institui legum necessitatis contra viva illa quae sint singulorum hominum iura. Habent tamen haec quoque veritatis magis indicium quam ipsam veritatem. Rem totam non penitus perspexit.

Eodem modo Genellius (pag. 161) rerum ordinis recentioris de ordine pristino victoriam ab Aeschylo hic celebrari recte quidem sed ea non satis distincte dixit. Quo enim pacto hic ab illo differat, quod minime debuit, dicere omisit, neque id nos comperturos esse spero, nisi quam celerrime ad eum nos contulerimus cujus si hic mentionem fieri mireris, rogo, ne ante rem bene cognitam eum interpretem rejicias. Jura Eumenidum Hegelius*) ait esse naturalia illa quae cognatione nitantur et sanguine, his vero longe superiora esse ea quae animum humanum quasi fontem habeant, legibusque contineantur non a natura sed a mente praescriptis, mariti iura et principis. In illis tuendis totam Eumenidum in his Minervae et Apollinis positam esse naturam. Tales revera nobis Eumenides Aeschylum finxisse doceant te quae ipsae Apollini de munere earum quaerenti respondent (Eu. 210):

τοὺς μητραλοίας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν

et exprobranti iis quod non itidem ab uxore poenam poposcissent, quae maritum interfecisset (212):

οὐκ ἂν γένοιϑ' ὅμαιμος αὐϑέντης φόνος. **)

---

*) Aesthet. II. pg. 50. 51.

**) Si, quae mutua esset deorum illorum in tragoedia nostra conditio, usquam exposuit Aeschylus, id eum hoc loco fecisse apparet. Quare ab hoc loco

Quae jam sequuntur Apollinis verba ab ipso Hegelio laudata, optime dei nobis indolem, iuraque quae ipse tueatur indicant (214 sq.). Nullo profecto, inquit, in honore tibi sunt, nihilique facis Junonis cum Jove foedera. Honore hoc tuo verbo omni Cypris privatur ex qua tamen beneficia carissima hominibus contingunt. Et paullo post (222): Haec quidem (sc. Orestis facinus) scio vehementer tibi iram excitasse, illa contra (Clytaemnestrae facinus) multo mitius te tulisse. Verum si accuratius rem spectamus, fatendum est, non furias solum iure niti, quod neglectis altioribus officiis verae et perfectae iustitiae non respondeat, sed Apollinem etiam propterea perfectam hanc iustitiam minus esse assecutum, quod opinetur posse praestari et teneri iura illa superiora etiamsi inferiora abjiciantur. Utrumque esse falsum cur pluribus demonstrem? Omnino qui sit rerum exitus, quae mutuarum irarum sedatio scire gestimus. Justa sententia causam dijudicari Solgerus negat (pg. XV.), negat Genellius, negant acutissimi viri judicii, et argumenta si respicimus quibus pro sua sententia Apollo utitur, argumenta etiam quae Minerva affert, sunt ea, fateor, levia et levissima. Apollo enim in eo quod antea de majori matrimonii iure dixerat, sibi non constat, patrem mox matri se praeferre eaque de causa Orestem se tueri asseverat. Hanc esse ait ipsius Jovis sententiam, hanc eheu! quantis argutiis defendit, ut sophista potius quam deus esse videatur (Eu. 657 seq.). His vero simillima sunt Minervae argumenta. Virum haec feminae, maritum uxori praeponit, hanc ob rem et ipsa stat ab Orestis partibus et ei salutis conciliatricem se praestat (734 seq.). Negari omnino nequit causam Orestis per se iustiorem esse quam

---

frustra ad alios provocaveris. Id enim — fateor — accidit poëtae, ut non semper angustis hisce finibus Furiarum naturam coërceret. Licet igitur alibi de se plura et paullo meliora praedicent, id semper tenendum erit, quod contra Apollinem sunt confessae. — Neque adeo quae praeterea sibi adrogant ab eo differunt. Immo optime is locus congruit, ubi denuo de consilio quod sequantur Oresti respondent (603—605). Propterea enim h. l. Clytaemnestram se non esse persecutas fatentur quod quem ea interfecerit, non sanguine ei conjunctus fuerit. Nec quae antea de officio suo et munere canunt, cum hisce omnino non conveniunt. Patronas enim iustitiae saepissime inde a versu 490 se professae magnam qualis sit illa iustitia quaestionem relinquunt. Immo non relinquunt, sed primo loco in commemorandis singulis officiis postquam pietatem perhibuerunt parentibus probe praestandam, hospitii officium secundo loco ponunt. Videsne jam quanti id sit momenti? Annon gentes crudelissimae quaeque et rudissimae hospitalitatis iura sanctissime colunt? Annon qui nec fide adhuc nec lege in ordinem et certam reipublicae formam venerunt, hac tamen erga hospites fide pie servanda humanitatis quasi prima vestigia ostendunt? Haec igitur est iustitia illa, haec humanioris vitae initia ab Eumenidibus sola laudantur, sola defenduntur. Verum si paullulum nonnunquam altius etiam assurgunt, id eadem sapientia ab Aeschylo institutum esse persuasum habeas qua ubique in rebus vel maxime sibi oppositis aliquam futurae conciliationis copiam inesse voluit. Quod nisi alterius rei naturam ad alterius quodammodo similitudinem accedere finxisset, fieri non potuit.

argumenta quibus defendatur. Mihi quidem in mentem venit quod saepissime in rebus humanis accidit. Vincit plerumque res bona quamvis minime ab hominibus perspecta, estque ea non virtus sed donum quoddam hominibus prae ceteris ingenio excellentibus a deo datum, ut, quod sero demum quam sit rectum et utile ab aliis cognoscitur, eo vel nescii vi quadam interna et latente, instinctu quasi ferantur. Idem quoties Aeschyli Eumenides perlegi Apollini et Minervae accidisse mihi visum est. Caute ipsum Aeschylum ejusdem culpae — si est culpa — reum facere dubitavi, quippe qui, quod argumentis Minerva debuit, id arte sua ita perfecerit, ut deam possis sapientiorem desiderare, poëtam non possis. Quam enim argumentis minus Minerva sapientiam prodidit, eam re probavit. Nam veram quum eam tantum rei dijudicationem esse sensisset, qua Eumenidum jura non prorsus tollerentur et ad irritum redigerentur, sed in loco inferiore ponerentur, Eumenides quam honorificentissime dimisit, subjectas quidem et inferiores deis recentioribus sed conciliatas tamen atque potestatis et honoris minime expertes. — Magis etiam ut iniquitatis speciem a iudicio illo removeret, Areopagitas introduxit, iustitiaeque formas imitatus est.

Sed de iudicio isto quomodo iudicare possim non video nisi gravissimam illam quaestionem de calculo Minervae a viris doctis vehementer vexatam, ut mihi tamen videtur nondum omnino absolutam, repetam.

Quam jamjam alii de Minervae calculo sententiam protulerant, eam nuper ita Muellerus professus est, ut latius mox ea de re certamen serperet. Contendit enim vir doctrinae copia dubites an ingenii acie praestantior parem iudicum numerum ad Orestis et ad Eumenidum partes abiisse, ita ut addito demum tertio decimo Minervae calculo ad duodecim iudicum calculos res illi feliciter cessisset. Quod eo effecit ut quem v. 735. sumpsisset calculum, eum v. 752. demum reliquis deam adjecisse diceret (pg. 161.).

Argumentorum quae contra allata sunt ea primum quae externa dicuntur in pugnam descendant. Fritzschium*) praecipitem videmus in aciem ruentem. Is ab ipsius Aeschyli verbis initium facit, neque alia nos argumenta libentius accipimus. Futurum quidem quod legitur v. 435. προσϑήσομαι neque ipse magni faciet; sed versum 741 egregie frigere contendit, si versu iam 735 dea album calculum praeter iustum eumque parem suffragio-

*) cf. Censuram libri Mueller iani, quam hoc titulo edidit: Recension des Buch's Aeschylos Eumeniden von K. O. Mueller, von einem Philologen. Der Recension erster Artikel. Leipzig 1834.

rum numerum se adjecturam esse pronuntiasset. At quo pacto frigeat ego non video. Frigeret, ni fallor, si diceret dea, majoris calculorum numeri compotem liberatum iri Orestem. Sed hoc, ut dicat tantum abest, ut ipsis verbis demum versus 741 Orestis se tum fore servatricem confiteatur si forte par ei utrinque calculorum numerus de salute dubitationem injecturus fuisset. Contra versuum 735 et 741 ea mihi videtur esse conditio, ut egregium inde pro Muelleri sententia testimonium possis petere. Fatear enim magni vel id esse momenti, quod calculum ipsa Minervs pro Oreste in urnam injiciat, sed haud minoris alterum id esse ajo quod victorem illum etiamsi iusta calculorum computatione nec condemnandus neque absolvendus sit futurus, evasurum pronunciet. Sed, quo summa res redit, putasne bene id ita simpliciter poni potuisse, uno versu, cum nulla rationum commendatione, nullo verborum ornatu? Quare difficile quis sibi persuaserit, non eundem esse sensum vers. 735 et 741.

Porro versus 752. 753. a Fritzschio auxilio vocantur. Si septem, inquit, habuisset Orestes calculos felices, non propter parem calculorum numerum sed propter septimum illum alteri parti a Minerva adjectum victor proclamandus fuit. Luce clarius est, refutare virum doctum eam sententiam quam non intellexit. Minervae enim ille calculus ex Muelleri sententia omnino non est eodem loco habendus quo Areopagitarum calculi. Potuit itaque sic quoque septimum illum calculum salutis Orestis causam praedicare Minerva, sed minime debuit.

Eadem incuria porro κωφὸν πρόσωπον ait reddi Minervam, si Muelleri sententiam sequaris. — In calculo enim deae, si sensu Muelleri is accipiatur, quo iure Fritzschius neget rem summam esse positam, equidem non video. Vitium antea a nobis detectum, iterum ille probavit, quum diceret eam recepta Meelleri sententia versiculi 795 esse speciem, ut aut consulto de suo calculo tacere aut mendacium committere dea videatur. Sed nec tam ineptam deam Muellerus reddidit nec mendacem. Suo iure — ut exponam quid velit Muellerus — iterum dea affirmat sententiis utrinque paribus Orestem esse absolutum; nam quem ipsa calculum addidit, is non imparem reddidit numerum istum, sed id effecit, ut ad absolvendum Orestem par non minus valeret quam major alborum calculorum numerus.

Sed iam Hermannum audiamus *). Si Muelleri, inquit, sententia eadem et Aeschyli fuisset, haud dubie longe aliter hic locutus fuisset nec profecto ante repertum utrinque parem calculorum numerum Minervam se suum Oresti calculum adjecturam

*) Opusc. VI. 2.

esse praedicantem nobis finxisset. Verum enimvero ne potuit quidem ita rem instituere, quippe quum ipsa Minerva se rem didijudicaturam esse disertis verbis antea negasset (741), calculo igitur post repertum parem suffragiorum numerum insuper adjecto et Furias graviter offendisset et omnem componendae simultatis facultatem sustulisset. — Verum licet non ita Muellero assentiaris, ut praescivisse Minervam Areopagitici iudicii eventum statuas — sic enim aperte ludere Furias et foeda simulationis macula sapientiam suam et divinitatem contaminare videretur — tamen non poteris quin in hunc modum illud iudicium cedere posse et propterea sibi de salute Orestis praecavendum esse, id concedas deam reputare potuisse. Contendenti porro Muellero *), non licuisse deae proprio iudicis munere fungi, quippe quae aperte hoc sibi convenire (471) negasset, Hermannus non omnino iudicandi sed sine iudicii assessoribus iudicandi munus recusasse deam respondit. Id vero argutius quam verius dictum est. Nam non addidit quidem Minerva, ne cum aliis quidem se nolle iudicare, sed non magis se velle cum aliis. Mihi, inquit, fas non est cruentam ejusmodi causam discernere; iudices igitur eligam qui de caede et nunc et in posterum iudicent (v. 471. 482 et 482—484). Omne hic a se judicandi officium ad alios simpliciter deam transferre nemo profecto unquam negasset, nisi sequentia aliter rem se habere indicare nonnullis visa essent. Interim suis quisque locus luminibus illustretur.

Verum quantopere dea iustitiae leges neglexerit, si ad mentem Hermanni eam nobis fingimus, nondum satis perspectum habemus. Peccavit enim non semel tantum, sed quum injuriam semel commisisset, altera necessario secuta est. Imparem enim Areopagitarum numerum accessivit, qua ratione optime praevisum erat, ne res in suspenso maneret. Jam hanc iudicii opportunitatem insipientius dicam an injustius ipsa tollens in eam adducta est necessitatem, ut futurum fortasse ambiguum iudicium altera insuper addenda sive sententia sive lege dirimeret. Igitur quum nullam antea sibi cum ipso iudicio rem fore asseverasset, duplices nunc sibi partes adrogavit, neque id rei necessitate coacta, sed sua ipsius aut stultitia, aut astutia eo perducta. Sapientior sane et paullo magis iustitiae amans Muelleri Minerva. Haec enim iudicandi omnino non, ferendae vero legis ita munere fungitur, ut pari iudicum numero in illam videatur ducta esse necessitatem. Hoc vero non solum injustum non esse, sed ita convenire Minervae ut nihil possit magis, recta ea Muelleri

*) In libro: Anhang zu dem Buche Aesch. Eum. von K. O. Mueller, (pag. 42).

annotatione evincitur qua εἰςαγωγέως sive ἡγεμόνος τοῦ δικαστηρίου constanter partes tenere deam contendit*). Etsi enim praesidi isti iudicii suffragium ferre licuisse non certissime potest negari, tamen ambiguae sententiae dijudicationem in eum cecidisse ex ipsa rei natura certissime affirmari poterit.

Sed non semper Muellerus quod rectum erat, monuit, neque nihil ille inepte molitus est. Quam enim ex diverbio illo Apollinis et Furiarum de Areopagitarum numero sententiam duxit eam indidem ducta Genellii sententia incertissimam esse evincit. Ille enim quum per singula diverbii intervalla Areopagitas singulos ad urnam fecerit suffragia ferentes quomodo duodecim potius quam decem ferendi vices invenerit, nescio. Sed habeat sibi; concedo enim ante prima quoque (711) et post ultima chori verba (733) ad urnam Areopagitas accessisse; quanta vero ineptia est, per intervalla, quae in contentione gravissima aut minima sunt aut nulla, Areopagitis itineris longissimi ex orchestra ad aram in ipsa scena positam otium concedere! Satis copiosus hac de re Hermannus fuit, quamquam vel nemine monente patet rei ineptia.**) Multo ingeniosius vero in hac re Genellium esse versatum negare non poteris. Animadvertit acutissimi vir ingenii sexies chorum, quinquies tantum Apollinem loqui. Inter ipsa facta utrinque verba Areopagitas suffragia in urnam conjicientes eosque deorum utrinque constitutorum verbis nunc in hanc, nunc in illam partem tractos sibi finxit, ita ut quinque pro Oreste Apollo, sex contra eum suffragia Furiae extorserint (p. 237.) — Verum quae ingenii commendatione satis insignis est opinio ea multum abest, ut pro certo possit haberi. Quis enim nisi ab inferis Aeschylum excitaverit numerum Areopagitarum ita definire audebit ut dubium nullum relinquatur. Quid enim? si quis plures omnino iudices affuisse contenderit? Est sane pluralis τευχέων (742) in promptu ad quem quis provocet, videlicet quo efficiat, in aperto fuisse a qua quisque parte steterit, ita ut nisi major iudicum numerus impedivisset, de iudicii eventu non potuissent adeo in ambiguo esse (cf. V. 744), est versus 748 in promptu, quo doceatur, non facillime numerari potuisse suffragia. Sunt haec in promptu: quis neget? sed possunt etiam responderi ad haec quae non careant veritatis specie***), ita ut malim equidem

---

*) Anhang pg. 42.

**) Per diverbii intervalla singula in urnam conjecta esse suffragia etiam Droysenius indicavit in versione pag. 191.

***) e. g. de plurali τευχέων cf. Bernhardy in syntaxi cp. 2. §. 6. — Quam per se commendationem habeat numerus ille duodecim iudicum initio statim Muellerus indicavit: Ae. Eum. pg. 78. §. 9.

sejungere quaestionem de certo Areopagitarum numero ab ea in qua sola versemur, utrum par ille numerus an impar fuerit. —

Ad hanc igitur solam redeuntes, Fritzschium recentes interea copias in aciem deduxisse videmus. Valere iubemus in tempus ipsum Aeschylum, eos consulturi, quos praeter illum iudicii de Oreste instructi testes habemus. Locum quem primum ex Eurip. Elect. 1188*) Fritzschius attulit, non attulisset eum, si satis Muelleri mentem perspexisset. Nam uti iam supra monuimus, est Muelleri etiam sententia quam Euripides illo loco profitetur:

ἴσαι δέ σ' ἐκσώζουσι μὴ θανεῖν δίκῃ
ψῆφοι τεθεῖσαι — — —

Quod maxime quaeritur, utrum propterea sententiarum numerus servarit accusatum quod inter eas Minervae etiam calculus fuerit, an quod ad parem numerum insuper hic accesserit, significans, quamvis paribus suffragiis latis, tamen criminis absolutum esse Orestem, hoc minime verbis istis dijudicatur.

Neque plus profecit vir doctissimus alio Euripidis loco: Jph. Tau. 1361. Alloquitur in hunc modum Minerva Orestem:

— — — ἐκσώσασά σε
καὶ πρίν γ' Ἀρείοις ἐν πάγοις ψήφους ἴσας
κρίνασ' Ὀρέστα καὶ νόμισμ' εἰς ταὐτόγε
νικᾶν, ἰσήρεις ὅστις ἂν ψήφους λάβῃ.

Unde jam tantum in hoc loco sententiae suae praesidium esse Fritzschius conclusit? Scilicet ex necessitate vertendi vocabulum κρίνασα in hunc fere modum: „quum dicenda sententia suffragiorum utrinque numerum aequassem." At quae tandem est illa necessitas? Adesset sane, si addito Minervae calculo constaret eundem in utramque partem calculorum numerum cecidisse. Quod ut constet, tantum abest, ut hoc ipsum loco nostro se probaturum esse Fritzschius promiserit. Ne igitur de necessitate dicat. Posse ita verti κρίνασα non nego, optime ita verti nego atque pernego. Propriam enim verbi κρίνειν vim eam esse qua dirimendi, discernendi notionem reddat, manifestum est. Ea igitur vi hic quoque posse usurpatum esse vocabulum quisque concedat necesse est, optime vero sic accipi ex dicendi genere Euripidi probato poterit quis demonstrare. Quid enim magis Euripidi dicas convenire, quam eam sententiarum oppositionem, qua suffragia paria diremta, id est quasi imparia reddita esse ponatur? Hanc igitur interpretationem, nisi certissimam,

*) Cum Bothio in citando Euripide numeravi.

multo tamen et simpliciorem et magis Euripideae dictioni accomodatam dicere non dubito.*)

Verum ne quid unquam non cautissime agere videamur, satis iam si nihil valere locos Euripidis ad firmandam Fritzschii sententiam libenter omnes concedant, profecimus. Sunt enim dubiae interpretationis, ita quidem, ut si alterutra certior videatur explicatio, ea sit nostra potius quam Fritzschii.

Superest, ut de eis locis dicamus quos certatim praeterea viri docti nobis suppeditant. Quanta vero insit ad demonstrandum vis in aliorum scriptorum locis vel ex eo elucet, quod par fere auctoritatum numerus in utramque partem abit. Igitur nobis quoque Minervae calculo, id est iudicio, opus est; neque auctoritatibus sed rationibus est contendendum. Verum iudicio etiam in auctoritatum censura locus datur. Negant qui contra Muellerum stant, eandem esse eorum qui pro ejus sententia recte laudentur et eorum dignitatem, qui ipsis succurrant. Negant Aristidi (I. p. 24 Cant.) et Juliano (Or. III. p. 114. D. Spanh.) ineptis quippe rhetoribus tantum tribuendum esse auctoritatis quantum Luciano (Piscat. cp. 21 et Harmonid. cp. 3 ext.) eleganti ut dicunt et accurato antiquitatis investigatori. Quid vero? nonne in eo ipso ineptia quaedam rhetorica cernitur, si quis universe ita et generatim declamat de ineptis rhetoribus? verene est accurati antiquitatis investigatoris Lucianum, acsi nunquam errasset, verissimum statim et ubique testem proclamare? Quamobrem sapientius multo haud dubie egissent, si auctoritatibus istis utrinque allatis valere jussis ad sola Aeschyli verba et mentem et, si quae alia certiora habuissent testimonia, ad haec se contulissent examinanda. Ne igitur cum illis insipere videamur, non magis nos quam Wieselerus Philostratum (Vita Soph. L. II. in Aristocle pg. 566 A. ed. Mor.) et Dionem Cassium (15, 19) moramur; nec Ciceronis loco (pro Milone 3, 8.) tantum tribuimus quantum Wieselerus (p. 146.) In uno tantum loco ab Hermanno laudato propterea quia ratio in eo examinando plurimum valet, necesse est, ut nunc etiam aliquanto diutius versemur. Est is scholiastae ad Aristid. I. 108, 10. p. 428 ed. Fromm. (Hermann. l. l. pg. 189.) Fingitur hic duodecim deorum fuisse de causa Orestis judicium, additurque propterea hunc vicisse, quod ipse mortalis totidem suffragia accepisset quot Eumenides, deae immortales. Quod quomodo vir doctus in suam sententiam trahere potuerit, equidem non video. Ratio enim bujus narrationis

*) Satis in aperto est, loci Jph. Tau. 894:

— — — ἴσας δέ μοι
ψήφους διηρίθμησε Παλλὰς ὠλένῃ. —

eandem esse conditionem. —

a narratione Aeschyli toto coelo differt. Causa quippe quae exhibetur cur victor e iudicio Orestes evaserit tota pendet ex eo, quod dei fuerint judices, numerus iudicum itidem ex solenni deorum numero pendet. — Quid igitur hoc ad Aeschylum attinet? Immo quanta ineptia ista narratio premitur! Hic quoque Minerva ultima calculum pro Oreste affert, sed vanus est ille calculus: non in eo est posita Orestis salus, potuit aeque bene in alteram partem dea sapientissima abire dummodo par ab utraque parte divinorum suffragiorum numerus exsisteret. Num eodem modo Aeschylus? Minime. Sint, uti volunt, sex utrinque apud Aeschylum calculi, sit sextus Oresti favens Minervae, causa cur hic absolvatur ea semper erit, quia deam sapientissimam patronam habuit. Quid multa? est summa apud Aeschylum vis calculi Minervae, nulla apud scholiastam, intellexit ille quid sibi vellet Minervae iudicium, hic tantum abfuit ut intelligeret, ut causam cur Orestes liberaretur aliam quaereret. Qui igitur hic laudari poterit, ubi de Aeschyli mente quaeritur, nisi forte externa quis, numerum inquam et nomen quam rem ipsam, sensum et consilium scriptorum spectare mavult. Sed priusquam ad consilium Aeschyli revertimur, verbo saltem argumentum externum quoddam aliunde petitum sed et ipsum a Fritzschio allatum attingamus. Sed argumenti nomine num id dignum haberi potest, quod in re versatur et ipsa incertissima? Est enim re vera incertissimum, imparem fuisse seriori tempore Areopagitarum numerum; sed, ut fuerit, sequiturne eodem modo rem inde a primis temporibus institutam fuisse? sed, ut omnia concedam, fuerit inde a primis temporibus, annon Aeschylo licuit, alio consilio rem aliter instituere? Scilicet nihil ille mutavit, auctoritatem ille magis quam suam mentem curavit, fuit major illi historiae quam rationis religio. Vides quam sint levia ista ut fere pigeat me quod tot de iis verba fecerim.

Omnia itaque iam ut eodem redeamus, unde venimus, id est ut poëtae ipsius consilium quaeramus, nos adhortantur. Fritzschius iterum praeit ad morem eum provocans, quo vel posteriori tempore paribus utrinque sententiis reus criminis absolutus sit. Hunc enim morem quum ex ipso illo Minervae iudicio duxerint, aperte ait apud Aeschylum quoque addito demum Minervae calculo parem factum esse calculorum numerum. Res ea gravissima est; ex comparato enim more isto cum Aeschyli narratione quae sit utriusque vis et sensus elucere poterit. Statuamus primum veram esse Hermanni et Fritzschii opinionem. Statim quomodo usus, qui postea in foro valuit ex Orestis iudicio duci potuerit, ego non intelligo. Absolutus est criminis qui matrem necaverat quia alborum calculorum unus Minervae cal-

culus erat. Jam si illam usus forensis cum Orestis iudicio comparationem ratione non plane carere volumus, necesse est, ut absolventium iudicum unus quasi Minervae locum explere credatur. Quis igitur iudicum Minervam repraesentabit? Annon omnes plane eodem loco habendi sunt? Sunt sane; non uni alterive divina illa misericordia et divina inde auctoritas tribui poterit. Sit igitur, inquis, penes omnes, stet omnino ab absolventium partibus vis illa divini iudicii — Itane vero? iam igitur mecum facis? Adest nunc dea praeter judices illos, accedit Minervae calculus ad iudicum calculos; quorum antea auctoritas adversariorum auctoritatem aequabat, ea nunc deae calculo aucta victrix evadit. Jam cum ratione omnia fiunt et prudenter ii egerunt, qui a iudicio illo primo in Areopago habito forensis usus originem repetierunt. Nihil pulchrius, nihil verius excogitari potuit, quam divinae misericordiae ideam quae in Orestis causa sub ipsius deae et calculi ejus specie affuerit, in posterum etiam accusatis auxilio venire. Comprobant disputationem nostram Aristidis et Juliani testimonia. Hi enim quos supra Muelleri sententiae favere vidimus, iidem etiam in explicando forensi usu ad primum illud Areopagitarum iudicium redeunt, ita ut hanc usus forensis interpretationem cum Orestis iudicii interpretatione Muelleriana arctissime cohaerere appareat*).

Verum quo nos ipsa disputatio tulit, ibi nunc aliquantulum etiam versemur, in explicando totius iudicii illius sensu. Ipsa res, quid Aeschylo faciendum fuerit, doceat. — Crimen vero Orestis triplici ratione iudicari potuit. Is enim qui patris ulciscendi causa matrem necaverat, Eumenidibus matris partes pluris quam mariti aestimantibus maximi criminis obnoxius non potuit non videri. Ab his igitur condemnatus et crudeliter agitatus est. Jam ubi ad homines iudicium venit, eo videlicet tempore quo nondum deae voluntatem et leges altiores cognoverant, nec iuris civilis iudiciique forensis periti erant, aptissime facinus Orestis eodem pacto condemnari et excusari potuit. Homines enim ex sana mente et simplissima iustitiae cognitione, altera ex parte laesa videntes matris iura, strenue observatam ex altera parte erga patrem pietatem, utrum alterum punirent an alterum laudarent discernere non potuerunt. Medium itaque inter Furias et

*) Duodecimum calculum qui Minervae tribuit, si et constare sibi vult et cum ratione agere, necesse est, ut vel uno calculo superioribus condemnantium partibus a debilioribus absolventium partibus propter plenum misericordiae calculum Minervae secundum fori leges ereptam esse victoriam accipiat. Recte hoc intellexit Muellerus (Anhang pg. 48) sed falso, ni fallor, et quam sit Fritzschii ab ipsius interpretatione toto coelo diversa, non videns, Fritzschio hanc sententiam dedit.

Minervam locum tenentes paribus utrinque suffragiis Orestis causam in suspenso relinquunt, res ad iudicem sapientiorem defertur. Adest Minerva; est ea sapientior, quam quae strictam illam et nudam, ut ita dicam, iustitiam laudet, rem penitus perspicit, iura legesque mentis naturae legibus praeponit, Orestem absolvit. Se immiscens igitur civium suorum iudicio ad suam ipsius sapientiam hos revocat, altioris et divinioris iustitiae exemplum iis ostendit et semet ipsam civium suorum quasi mentem esse indicat, ad quam simul appetendam factisque iudiciisque exprimendam eos hortatur.

Nimium haec ad scholae formulas disputata tibi videntur? Simpliciorem rationem tibi proponam. Fingas tibi humanos illos iudices in conspectu deorum positos, Apollinis inquam et Erinyum, quos pro humana sua sapientia et pietate non possunt non utrosque in eodem honore habere. Audebuntne tantum Apollini detrahere ut Furiis vincendi copiam faciant, an Furias adeo negligere, ut aperte Apollini plus concedant? Annon igitur poëtae erit, ut dimidiam partem Apollini faciat, dimidiam Furiis faventem? Jam ego non is sum, qui auctoritatis magis in disputando quam rationis momenta quaeram. Tamen cur non fatear de paribus suffragiis in tragoedia nostra quod ipse cogitarit, me valde laetatum esse? Ipse autem est Hegelius*). Videlicet non ita Hegelii utar auctoritate, ut mentem Aeschyli nunc detectam esse contendam. Verum gravis mihi est testis quid sit rectum, quomodo fabulae sensui optime Aeschylus satisfacere potuerit, id me non male intellexisse.

Jam vero quantum tota hac de idea iudicii Areopagitici disputatione profecerimus est in aperto. Disertis enim verbis ab ea quaestione, quid res poscat, alteram eam, quomodo rei Aeschylus satisfecerit, toto coelo diversam esse ipsi professi sumus. Praeterea ex memoria nondum nobis excidit, nos eo consilio difficillimam virorum doctorum de ratione iudicii illius litem adiisse, ut inde demum quae deae esset in tragoedia nostra conditio, perspici posset. Videtur et consilium illud mutatum et opera nostra ad irritum relapsa. Verum habet excusationem ea temeritas. Ea enim quam animo deae imaginem concepimus nihil nos impediet, quominus accurate imaginem ab Aeschylo expressam denuo investigemus, immo ut eam melius perspiciamus, comparatio efficiet. Tum vero fontem etiam, ad quem summorum virorum certa illa persuasio de iudicii Areopagitici ratione redeat, deteximus. Jam

*) Verbo tantum sententiam suam indicavit Aesthet. II. p. 60. Eandem fuisse Solgeri sententiam colligere poteris ex loco eo qui exstat in censura scholarum Schlegelianar. Opp. II. p. 527. 528.

enim eos, quod ipsi senserint Aeschylo dedisse suspicari coepimus. Sed nondum res est dijudicata et ut dijudicetur ad argumenta alia detegenda ubique circumspicimus. Ubi vero si quae supersunt, esse poterunt nisi apud Aeschylum ipsum? Unum revera nunc etiam ibi latet. Hermannus id Muellero objecit (l. l. pg. 198). Ineptum videlicet Hermannus iudicat esse, calculum insuper addere, postquam quae parium suffragiorum lex esse deberet iam verbis dea professa sit. Acute fateor et ingeniose monitum. Habet tamen Muellerus ad haec etiam quod respondeat. Ut enim taceam quod quis merito dicere posse sibi videatur, quodammodo calculo isto majorem legi divinae auctoritatem et quandam iuris speciem accedere, valebit certe ad Aeschyleae artis indolem provocatio, quippe quae in eo potissimum posita sit, ut quam maxime ad oculorum sensum omnia revocentur, sensibusque subjiciantur quae per se sola mente contineantur. Attulit hujus usus Schoellius plura exempla (pg. 434. 435): sagittis vacuam Xerxis pharetram (Pers. 1016—1023), pallium quo implicatum Agamemnonem uxor necaverat, ab Oreste expansum (Cho. 980 sq.) et post alia ipsum de quo nunc sermo est Minervae calculum. Attamen fatendum certe esset hoc loco minus feliciter illam symbolicam rationem ab Aeschylo esse adhibitam. Nam ipse hoc modo ansam dedisset, ut cum iudicum calculis symbolicus ille Minervae calculus confunderetur. Quae quum ita sint, quantulumcunque isto Hermanni argumento efficitur, funditus id tolli non poterit. Quae vis in eo insit, egregie eorum aliquis probavit, qui stant ex adversa parte; Droysenium dico. Hic enim quum sensisset, non bene calculum a Minerva addi, quum calculum adjicere solius iudicis, legem iudicandi praescribere praesidis esset, vertendo in vernaculam linguam difficultatem istam removere conatus est. ψῆφον itaque V. 735. Germanice reddidit: „Spruch", versus sequentes 736—740 interjectionis loco habuit, versum denique 741 sic interpretatus est acsi sententiae illius V. 735 expositionem contineret. Quis non videt, frustra doctissimum virum laborasse? Cui enim in mentem venire poterit, vocabulum ψῆφος singulari illa potestate ibi usurpatum esse, ubi in medio iudicio versamur, ubi de ferendis suffragiis ubique est sermo? Quis solo versu 735 hanc significationem valere sibi persuadebit, quum longe alia eaque vulgaris aperte valeat V. 741 (ἰσόψηφος), 748 (ἐκβολὰς ψήφων) et 751?

Quae quum ita sint — ut summam faciamus disputationis nostrae — nos non possumus, quin Hermanno assentiamur. Res, ni valde fallor eo perducta est, ut viros doctos inter se certantes non amplius velis morari. Sit igitur missum certamen, ita tamen, ut uno tantummodo, eoque probabili quidem, sed non

ἀάπτῳ argumento Hermanni sententiam vicisse recordemur. Neve aegre feras, quod tamdiu in refutandis argumentis ab utraque parte prolatis versati simus. Est enim tota res ita comparata, ut, quo subtilius eam exsequare, eo difficilius, quid decernendum sit, videas. Denique si quid est in re veri, melius cum ea agi nequit quam si falsis omnibus et debilibus argumentis, quibus antea fulciebatur, detractis et explosis, in medium contra prolatis quae ei adversantur, argumentis, ad solam suam veramque auctoritatem redigatur. Est enim satius, minus certam eam esse certo intelligere, quam ut certa videatur incertorum argumentorum artibus efficere. Erat haec antea hujus rei conditio; ut illa sit posthac, vehementer optamus. —

Verum enimvero probari non potest Hermanni sententia nisi cum magno Aeschyli damno. Cedat tamen pietas illa erga veteres scriptores in qua praestanda Lessingium semper imitandum mihi proposui — locus mihi in memoria est in Opp. VII. 170. — cedat illa veritati necesse est. Libere igitur fateamur, si ita rem Aeschylus instituerit, ut nunc cum Hermanno instituisse nobis est visus, minus bene id eum fecisse. Convenit enim deae quod paribus suffragiis in suspenso relictum erat iudicium, in Orestis favorem dirimere: calculum pro eo adjicere quo par redderetur utrinque calculorum numerus, non licuit. Plus hic, quam debuit, partis alterius studio indulsit, non deam tantummodo eam se praestitit, quae matrimonii lequmque vere humanarum curam susciperet, sed de suo arbitrio, suaque auctoritate Orestem tuita est. Id nos non temere nobis sumere, sunt ipsa Minervae verba documento, quae iam supra respeximus. Sunt haec illa verba quibus non summa sibi iura, Furiarum iuribus revera superiora tuenda profitetur, sed — quo sane levius nihil cogitari potest — quibus ad externam suam naturam et indolem provocat (V. 736 sq.). Haec sane si sola habuisset, cur Oresti salutem pararet, contra fas hunc periculum effugisse diceremus. Et si verba tantum spectamus, causam aliam non invenimus. Nihilominus iuste deam egisse largius supra exposuimus. —

Tragoediae Eumenidum non dissimile argumentum in Danaidibus poëtam tractasse est Droysenii conjectura. Quo pacto Juno ibi et Venus possint cum specie aliqua veritatis tragoediae legibus constrictae haberi — si tanti est — ex Droysenii expositione (pg. 329 sq.) concludas. Nos ne Droysenii magis quam Aeschyli mentem explicare videamur ad Promethei potius trilogiam nos convertimus.

Ut vero intelligamus quae sit in ea deorum conditio certissimam nunc quoque eam habemus viam, ut ex variatis virorum doctorum sententiis rectam quasi per se nasci videamus. Jam-

jam obticuerunt Galli qui sibi solis ingenium, sibi ore rotundo loqui Musam dedisse putabant. Non moramur igitur La Harpium et si quis alius huic assentitur, contendentem illum, omnino ne tragoediae quidem nomine dignam esse Prometheum Aeschyli *).

Sapientius multo Schlegelius noster quum reliqua illa tragicorum carmina singularum tragoediarum conditionem habeant, hanc ait quasi ipsam tragoediam esse habendam. Sed quod ingeniose dixit, neque ab ipso neque ab aliis statim intellectum et explicatum est. Erant primum hic quoque, qui totius fabulae consilium se perspexisse putarent, si politicam ei rationem subesse ostenderent. Contra tyrannos fabulam esse scriptam erat Brumoei **) et Schuetzii sententia. Adde Passovium ad Periclem omnia spectare contendentem ***). Sed etiamsi vere ita rem se habere demonstrare potuissent, quod tamen longe secus est —†) non verum fabulae consilium sensumque interiorem sed externam eius conditionem indicassent.

Uti vero fieri solet, ut ex altera rei parte extrema ad alteram ex adverso ei oppositam homines subito transsiliant, sic hic quoque rejecta illa tragoediae explicatione quae formam magis externam quam sensum spectat ad sensum in intima re latentem se verterunt detegendum. Est ejusmodi interpretatio symbolica, quae ex adytis scriptoris mentis sensum eruere conatur. Schlegelium iam antea symbolicae interpretationis auctorem habuimus. Est ei Prometheus ille totius generis humani imago quod et ipsum sola voluntate bellum contra naturae vires gravissimum illud et inevitabile sustinere possit (pg. 164). Mutavit paullulum Schlegelii sententiam Welckerus. Hominis hic quoque imaginem Promethei persona vult ab Aeschylo esse expressam, hominis quippe qui mentis praestantia fretus nec rerum naturae nec necessitatis leges timeat. Humanae mentis sapientiaeque egregium contra naturam bellum, quid perficiat illa, quid patiatur, ab Aeschylo trilogia ista ostensum esse contendit. Simul apte tria huius belli momenta tribus trilogiae partibus docet esse exhibita. Hominem enim qui primum vi summa mentis elatus audacter naturae legibus se opponat, mox ita eis succumbere monet, ut impavidum eum fracti orbis ruinae feriant; sed ne hunc quidem belli esse finem, sapientiam summam in eo potius versari, ut quas aut invitus antea passus sit, aut pati recusaverit, eas tum ipse

*) Lycée T. I. pag. 325. Debeo hoc Bluemnero: Ueber die Idee des Schicksals in den Tragoedien des Aeschylos, pag. 15. Not.

**) Théatre d. Gr. I. pag. 298.

***) De Aeschyli Persis. — Debeo Hauptio l. l. cap. VII.

†) In praetereundo tantum Droysenii opinionis mentionem faciam, qua Atheniensibus fabulam nostram scriptam esse argumentis, ut mihi videtur, haud satis firmis contendit: pag. 484.

sibi homo leges imponat. Longum est et inutile, singula omnia persequi, quae diserte ingeniosus vir ipse exposuit (pg. 68 sq. et pg. 83 sq.). Similia apud Droysenium invenies, sed quae magis etiam philosophum prodant (pg. 460 sq.).

Nos vero iam antea quo vitio interpretatio symbolica laboret exposuimus. Est enim in eo posita summa artis perfectio ut nihil habeat secreti, nihil reconditi, sed aperta omnia et quae vel ultro oculis occurrant. Hoc vero symbolicae interpretandi rationis vitium necesse est ut semet ipsum prodat et ipsum quam sit vana ratio illa evincat. — Videlicet quum quae in aperto sunt, negligant isti interpretes, manent ea non explicata et suam praeterea explicationem desiderant. Sensus vero interior totus, ut illi quidem sibi persuadent, iam est erutus et quasi exhaustus, ita ut nulla nisi frigida et levis interpretatio illis possit contingere.

Id ipsi Welckero accidit. Habuit enim Jovem illum, cuius antea immanitatem ad naturam rerum retulerat, ita praeterea ab Aeschylo descriptum et exornatum, ut multa ad deum tantum, non itidem ad naturam quadrarent. Huic igitur pariter ac Prometheo per se quandam dignitatem adscribendam esse vidit. Sed quum tantum iam in exponendo interiore sensu rationis consumpsisset, non potuit non male cum deo agere. Impotens inde Jupiter Optimus Maximus evadit, totam fabulam illudendi Jovis causa compositam esse docemur. Nec primus Welckerus talia ausus est. Affert ipse Jo. Muellerum inter alia haec disputantem: „Nec sane haec tragoedia pietatem spirat: adeo ut auctor, indigna passus, fessus labore vitae ex Promethei persona deos ipse accusare videri possit*)“. Differt ab hoc ita tantum Welckerus ut non summo illi Jovi sed Hesiodeo, post alios demum mundi gubernatori, post bella et fata ad regis dignitatem provecto ab Aeschylo illudi dicat.

Quam vero sit levis haec sententia vel ex eo intelligi potest, quod theogoniam illam et deorum in regnando mundi successionem non solum nunquam Aeschylus refutat sed disertis verbis etiam alibi profitetur (Agam. 168 sq.). Sufficiat interim, minus idoneam esse fabulae interpretationem symbolicam eo demonstrasse quod aliam insuper desideret, ut plane intelligatur, illam per se tragoediae vi et sensui non satisfacere.

Proximi inde sunt ei interpretes qui contemta symbolica ratione unum eumque satis apertum tragoediae sensum esse existimant. Sed falluntur hi quoque quum generatim primum et universe tantum de sensu isto loquantur, ita ut hic minus etiam

*) Welck. pg. 111. et 114. J. Muell. ad Prom. V. 92. ed. Butler. Huc trahi possunt versus nescio cujus christiani hominis apud Haupt. cp. XI.

vi et gravitati, magnitudini et argumento tragoediae late patenti respondere videatur. Philosophicae huius interpretandi rationis Solgerum affero testem. Deos hic dixit quibus maxime voluntatis libertatisque vis contineatur a poëta in tragoedia nostra fati vinculis inevitabilibus constrictos ostendi. Recte dixit, sed nimium argumentum fabulae amplum et omnibus partibus distinctum contraxit et ad formulam revocavit, quae totum non capit Aeschyli consilium.

Scripsit vero ad Welckerum amicus quidam litteras, quibus eam proposuit sententiam, quam nos proxime ad veritatem accedere contendimus.*) Versatur is totus in describenda Jovis natura. Nostrum erit ut Promethei mentionem addamus. Eam enim ex refutatis hucusque aut ex parte tantum probatis virorum doctorum sententiis veram esse interpretationem elucet, quae in ipsis tragoediae personis, in rebus ipsis ab eis gestis ideam poëtae et mentem inveniat. Itaque neque aliter de naturae legibus libertati infestis Aeschylus cogitavit, nisi quoad Jupiter eas sua indole, suis moribus, suis denique factis reddit, neque aliter de libertate aut de vi humanae mentis nisi quoad in Prometheo ea cernuntur. Sed nec tota Jovis nec tota Promethei indoles in illa naturae aut in hac humanae mentis vi est posita; sed deus est Jupiter, deus Prometheus, nec libertas, voluntas, sapientia cum vi illa naturae rudi et inculta, sed deus sapiens, immo ipse ille Prometheus cum deo potente, crudeli, cum ipso illo Jove pugnat. Non naturae sed Jovis vim Prometheus patitur, cum Jove in amicitiam in fine Prometheus redit. Est ita ut scripsit Welckeri amicus: in describendis Jovis fatis per quae ab inculta ingenii conditione ad veram divinitatem provectus est, tota trilogia versatur. Quam nos diximus supremam esse formae trilogicae de religione victoriam eam hic ante oculos habes. Jovem imperfectum primum, sapientia carentem, imperium sola vi tenentem, trilogia tibi ostendit. Inde bellum exoritur. Est enim, uti obiter et nondum habita deorum ratione iam supra exposuimus (§. 2.), est ex altera parte sapientia constituta cum humanitate conjuncta, habet enim Jupiter Prometheum adversarium. Vincere videtur Jupiter ea qua est potentia, succumbere Prometheus ea qua est cum illo comparatus externae conditionis infirmitate. Sed quo iure Jupiter vicit, quippe quum vi praestantior esset, quo contra ea Prometheus iure est victus: eodem iure sapientia et patientia Promethei ad irritum tum redigit illam victoriam, immo certum Jovi interitum minatur. Ex qua mutua deorum conditione ut bellum deponant et pacem ineant sequitur. Simili

*) In Welckeri libro p. 92—94.

igitur ratione in tertia tragoedia Jovi Prometheus, Prometheo Jupiter cedit. Nam qua re alter antea altero inferior fuit, ea se subjici patitur, qua alter altero superior, eam cum altero tum communicat. Ex duobus igitur unus tantum fiat necesse est. Honor omnis in Jovem confertur, ita vero ut ille Jupiter pristini illius sit dissimillimus, quippe qui sua natura posthac infestam sibi antea Promethei naturam contineat. Hic vero non tollitur, sed quod lege summa, eademque etiam formae trilogicae lege semper efficitur, omnem suam ita retinet dignitatem ut eam sciat in Jovem transiisse et hoc modo verissime esse conservatam.

De singulis hac in expositione tanquam de rebus haud satis certis nunc non magis quam antea curavimus nec curare visum est operae pretium esse quum nostrum sic etiam consilium exsequi potuerimus. Tamen tertiae tragoediae argumentum possit quis nobis objicere minus quam opus fuerit nos respexisse. Liberari enim in ea Prometheum, sed ita, ut non totum se Jovi det quum nos contra nullius post initam pacem momenti Prometheum fecerimus. Sed neque sustulimus eum totum et libenter concedimus philosophicis legibus fortasse in fine minus exitum satisfecisse, quippe quum aliquantulum personarum ratio obstet, quominus deis idem contingat quod notionibus contingere potest.

Ceterum quo diutius illam tragoediarum tragoediam spectamus, eo minus de sententiae nostrae veritate dubitamus, eo rectius in ea potissimum artis trilogicae de deis triumphum celebrari contendisse nobis videmur. Utinam igitur amicum Welckerus audivisset et illius quam suo ingenio plus tribuisset. Cur vero non audivit, cur in alia omnia abiit? Sunt argumenta ejus profecto levissima. Primum enim amici sententiae contemnendum ait obstare Jovis animum, qui sit ridiculi cuiusdam et inepti tyranni. Sed estne vilis animi et contemti, quod eum punit, qui tanta contra ipsum molitus est, quod ei non parcit, qui adeo pertinaciter ipsi est adversatus? Est profecto tyranni sed cuius mireris potius quam rideas crudelitatem, tyranni inquam, qui ad verba illa est fictus, quibus alio loco Coelum poëta descripsit: παμμάχῳ θράσει βρύων (Agam. 169). Tum vero, quod iam supra attigimus, negat Welckerus de Titanum pugnis mutatoque deorum regno idem cum vulgo poëtam sensisse. Quo iure neget, supra diximus. Prorsus eadem vero, quae in Prometheo exhibetur de natura et divinitate Jovis sententia si poscit ut alibi etiam in Aeschyli carminibus ostendatur, poscit quidem quod fieri nequit, sed propterea eam ne hic quidem inesse posse frustra affirmat. Crederet tamen inesse, ut ex verbis eius conjicio, si omnino theogoniae totique de deorum pugnis vicibusque

doctrinae sensum philosophicum subesse sibi persuadere posset. Sed longe secus id esse quum eo demonstrare conatus sit, quod deos deorumque fabulas arbitrarie a veteribus confusas et mixtas esse contendit, non vidit his etiam concessis sensum fabularum altiorem minime tolli. Quis enim historiae tam imperitus, quis philosophiae tam temere amans, ut fabularum illarum originem magna ex parte ex eo veterum more, quo deos aliunde ad ipsos traductos aut cognationis aut mutati imperii ratione cum pristinis conjunxerunt, petendam esse infitietur? Quis autem tam male de historia sentit, quis tam vehemens philosophiae contemtor est, ut Graecos, populum omnium longe sapientissimum ea putet finxisse et excogitasse quae ratione careant? Est enim ita ratione imbutus hominum et cuiusvis etiam populi animus (ut vel ipsis nesciis in mythis praecipue fabulisque ad religionem pertinentibus ratio et altior quaedam veritas ac paene philosophia dicam, vim suam exserat. Clam hoc modo ubique, ibi etiam ubi maxime consilium in fingendo abfuisse credas, idea veri per omnia se expandit, omnia sibi subjicit, et in mythis inclusa quasi dormit. Tum vero homines exsistunt, qui dormientem illam veritatem de somno quasi excitent, mythorum sensum percipiant et mentis popularis, quae in illis inest quasi interpretes fiant. Ex horum vero numero si quis alius, imprimis Aeschylus fuit et eum se esse quem dubites philosophum an poëtam dicas Promethei trilogia maxime probavit.

Haec contra Welckerum disputasse satis erit. Nos iam relicto toto hoc loco ad tertiam quaestionis partem transimus.

§. 12.

III. Ea nunc superest religionis ex poësi pendentis conditio, qua formam ab illa suppeditatam haec ita mutat ut arbitrariam eam esse nec dignam quae retineatur non alio modo demonstret nisi ita ut arbitrariam et ipsa aliam substituat.

Produnt vero cogitandi et fingendi licentiam ea imprimis quae ad numerum spectant. Quae sit in familiis istis deorum inferiorum, in Nereidibus, Oceanitidibus, aliis numeri vis iam antea exposuimus. Eo igitur in numero, quum nihil is habeat, quo poësis impetui possit resistere, late denuo poësis imperium patet. Jam tragicae poësi lex quaedam externa imposita est, qua chorum ex certo personarum numero compositum accipit. Sed et hunc quem usus scenicus concessit personarum et illum quem religio constituit deorum numerum nihili aestimat.

Potuit igitur Aeschylus ad choreutarum numerum Nereidum, potuit Oceanitidum *) familias revocare. Nihil enim

*) Ex duodecim Oceanitidibus chorum in Promethei prima et altera parte constituisse est Welckeri conjectura haud satis probabilis (pg. 39.).

curavit Homerum religionis gravissimum auctorem, qui triginta tribus Nereidibus nominatis verba etiam addit:

ἄλλαι θ᾽ αἳ κατὰ βένθος ἁλὸς Νηρηΐδες ἦσαν

(Il. 18, 39 sq. 49.), nihil etiam Hesiodi 51 Nereidum indicem (Theog. 240 seq.)*) Ne ingentem quidem Oceanitidum numerum diminuere dubitavit, quem Hesiodus hoc versu indicat:

τρὶς γὰρ χίλιαί εἰσι τανύσφυροι Ὠκεανῖναι (Theog. 364.)

Verum dicat quis, ne voluisse quidem omnes Nereides omnesque Oceanitides poëtam inducere. Poterit profecto ita hoc contendere ut consentire debeam. At loco certe omnium eas adesse, totam et Nereidum et Oceanitidum naturam quindecim chori personis exprimi, rationem denique reliquarum nullam haberi, hoc mihi ille concedet. Hoc vero quid aliud est nisi ad poësis usum diminuere deorum numerum?

Sed si quis minus poëtae tantum concedere audeat, quanta sint poësis iura ex Eumenidibus discat. Nam cum ea opinione quam Blomfieldus olim professus est, e tribus tantum Furiis hujus tragoediae chorum constitisse, ut quae omnium virorum doctorum consensu ad inferos sit relegata, nobis hodie amplius res non erit.**) Attamen quae res ad illam sententiam Blomfieldum perduxerat, eam Hermannus quoque adeo Athenienses offendisse existimavit, ut Apsinis locum aliosque supra allatos de Aeschylo magni et aperti criminis accusato eo referre minime dubitaret. Tres enim Athenis Eumenides esse cultas Polemo a schol. ad Soph. O. C. 39, laudatus testatur. Verba schol. haec sunt: Φύλαρχός φησι δύο αὐτὰς εἶναι, τά τε Ἀθήνησιν ἀγάλματα δύο. Πολέμων δὲ τρεῖς αὐτάς φησι. Quod enim Phylarchus dicit duas tantum ibi fuisse satis id loco Clem. Al. protrept. pg. 41 lin. 15 sq. ed. Pott. ad duo tantummodo a Scopa facta Eumenidum simulacra respicere verisimile redditur, quibus tertium a Calo additum esse eundem Polemonem Clemens testem affert. Gravissimus praeterea de trium Eumenidum cultu est scholiastae locus ad Eum. 585 (Dind.): πολλαὶ μέν ἐσμεν] τοῦτο οὐ πρὸς τὰς τρεῖς ἀλλὰ πρὸς τὸν χορόν· ιε γὰρ ἦσαν. — Tres Furias Orestes etiam sibi apparuisse apud Euripidem (Or. 391), coram tribus causam eum dixisse ibidem 1608 Apollo affirmat. Tres itidem in Troad. 446 commemorantur. Verum si quis solennem omnino de numero Furiarum opinionem ab Aeschylo nefarie laesam et propterea cives ejus offensos esse contenderat: potuit eum Muellerus refutare quum vel solo Euripi-

*) cf. Pind. Isthm. 5(6), 6 (ed. Boeckh.) et omnino Hermannum ad Soph. O. C. 722.

**) cf. Blomfield. in praef. ad Aesch. Pers. p. XVIII. sq. ed. Lips. et quae in contrariam partem Hermannus disputavit: Opusc. II. p. 125 sq.

dis exemplo*) incertum Furiarum numerum in eadem re qua tres antea commemoraverat in Iph. Tau. 897 seq. statuentis, quam parum sibi constiterint hac de re veteres, quantaque fuerint iura poëtarum probaret. Sed gravius potuit id in Aeschylum crimen cadere, quod Atheniensibus pro tribus apud ipsos sacro in loco habitantibus Eumenidibus quindecim**) dederit. Facile enim praeter tres istas, alias quoque alibi Furias exstare opinatos esse Athenienses aliquis sibi persuaserit, haud ita facile aequo animo si quis plures Athenis habitare fecisset, hoc eos tulisse crediderit. Sunt itaque qui ne religionem Aeschylus violasse videatur omni opera efficere conentur. Non eodem loco Aeschylum omnes Furias, sed tres tantum proprias, reliquas harum administras habuisse contendunt. Satis etiam aut hoc ipsum aut ternarii numeri sanctitatem indicasse poëtam Fritzschius dicit.***) Sed Fritzschio tantum hujusmodi aliquid potuit indicasse videri; num Atheniensibus quoque, dubito. Ea saltem quae Fritzschius affert nullius momenti sunt.— Verbis enim V. 140: ἔγειρ' ἔγειρε καὶ σὺ τήνδ', ἐγὼ δὲ σέ ad tres tantum illas Atheniensium Furias spectare, quippe quae ante reliquas expergefactae sint, id sibi sumpsisse magis quam demonstrasse videtur. Est enim in verbis istis simplicissima veri imitatio, ut bene monet scholiasta, qua altera alteram ex somno evocasse fingitur. Habeant igitur ea conjecturae dignitatem. Ineptum vero est quod secundo loco argumentum Fritzschius profert. Quod enim cum Gorgonibus et Harpyiis Furiae comparentur (Eu. 48 sq.) id quum ternarii numeri indicium continere censeat, non videt omnem ad formae foeditatem comparationem redire. Sed — inquis — hoc ille non negat: sed non potuisse non subire simul cum formae, numeri quoque rationem anditoris animum hoc solum contendit. — Num revera de ternario numero is cogitare potuit, qui proximis versibus adesse λόχον γυναικῶν audiverat? Profecto non potuit. Superest igitur provocatio ad scholiastae annotationem ad vers. 585 iam supra allatam. Est revera, si rem ad vivum resecare velis recta Fritzschii interpretatio, qua verba πολλαὶ μέν ἐσμεν non ad tres illas Atheniensium deas redire propterea a scholiasta observatum esse contendit, quia alios tragoediae locos hic eo retulerit. Sed si retulit scholiasta, quid hoc ad nos

*) Sed merito etiam ad eam dicendi rationem provocavit cujus exempla exstent: Il. 21, 412 μητρὸς Ἐρινύας, Od. 11, 280 id. et Herod. 4. 149 ext. Ἐρινύων τῶν Λαΐου τε καὶ Οἰδικόδεω ἱρόν.

**) Sciens scripsi. Satis enim ab aliis Welckeri (p. 39.) sententiam de Eumenidum chori numero opinor esse rejectam.

***) In libro: Zweiter Anhang zu Herrn K. O. Mueller's Eumeniden. pg. 32 seq. Argumenta Fritzschii ex parte eadem sunt quae ad suam sententiam firmandam Blomfieldus (l. l.) adhibuit. Hermannus (l. l.) refutavit.

pertinet? Cave igitur, ne scholiastae auctoritatem pro argumento accipias. —

Est igitur et quia ingenii speciosi commendationem prae se fert et quia magis id efficit in quo efficiendo maxime laboratur, est longe praestantior Lachmanni sententia*). Is enim post canticum 870—880 duodecim Furias abiisse, tres tantum mansisse easque postea sub terram esse deductas ex verbis versus 887: Σὺ δ' οὖν μένοις ἄν conjecit. Id si eo fine excogitavit ut ne Muellero tertium comitum chorum concederet, sed haberet, quibus comitum carmina post scenam canenda assignaret, operam profecto perdidit et temerius conjecturae periculum subiit. Nam etiamsi in scena constituimus, quod sane magis decorum est, comitum chorum, tribus tamen choris Muelleri non opus est. Sed fuit Lachmanni quoque consilium in eo potissimum positum, ut magis indulsisse faceret religioni poëtam, magisque id eum egisse:

populo ut placerent, quas fecisset fabulas.

Verum non tam ex consilio, unde orta est, quam ex argumentis quibus nititur, opinio quaevis est iudicanda. Lachmanni vero praeter verba illa 887 ad sequentium chori versuum carminumque numerum provocat. Verbis primum σὺ δ' οὖν μένοις ἄν quum apodosin contineant, ita ut δὲ illud non vocabulum σὺ cum vi quadam et ratione habita abeuntium aliarum Furiarum exhibeat, sed sit merum apodosis indicium, id quod Lachmannus vult minime efficitur. Frustra etiam ex vocabulo μένειν hanc verbis vim vindicare conabitur. Nam non ita id dictum est, ut abeuntibus Furiis, sed ut earundem Furiarum, quae, ut maneant primum rogantur, abeundi consilio opponatur (Pergit poëta: εἰ δὲ μὴ θέλεις μένειν, etc.) Alterum vero argumentum, ductum ex dicendi vicibus choro attributis canticisque chori quae sequantur sex, ita comparatum est, ut rei aliunde admodum certae possit quidem nonnihil addere verisimilitudinis, sed minime per se ad probandam rem incertam valeat. Neque alio consilio a Lachmanno allatum est. Numeri enim leges eae sunt, in quibus servandis aut negligendis maximam poëtae libertatem libenter concedas, neque id nobis sumere possumus, ut ubique habueritne earum rationem poëta necne et quam quoque loco habuerit, certis rationibus ostendamus. Quis enim est, qui sex cantica illa a quindecim Furiis cani potuisse neget? Equidem a me eam audaciam abesse volo.

---

*) Verbo tantum indicavit sententiam suam in Annalibus philol. a Jahno, Seebodio, Klotzio editis 1841 Vol. 31. pg. 458; sed ipsum Lachmannum plura pro ea dicentem audivi.

Sed sunt alia etiam, quae contra Lachmannum proferam. Videlicet si abierunt Furiae duodecim, cur non disertis verbis id indicatum est, cur non pluribus de illarum absentia agitur, cur non mites manentium animi cum implacabilibus reliquarum animis comparantur? Nihil hujusmodi invenies. Taceo quod quis merito addere possit, vocabulum ὁμιλία (1630) de quindecim melius quam de tribus adhiberi. Poterit enim versum laudare 711, ubi de se loquentes eadem voce Furiae quindecim utantur.

Verum ne cui iniquius agere videar, habeat iam consilium illud, unde totam hanc opinionem Lachmanno venisse dixi, habeat iam argumenti vim, sitque magni momenti violata per Aeschylum sanctissima civium religio. Annon magis etiam violatae rationis, ne dicam poësis leges poëtae et quidem Aeschylo religioni esse debuerunt? Annon has leges violasset, si iratam abire sivisset maximam Furiarum partem? Annon misere tum lapsum esset divinum divini poëtae consilium quo deos omnino recentiores cum antiquioribus conciliare voluit? annon quantum tres illae civitati commodi tantum reliquae damni afferrent necesse fuit? Annon Aeschylo, quod raro accidit, multo prudentius Euripides rem instituisset, quum parte tantum Furiarum mitigata reliquas Oresti infestas manere fingeret (Iph. Tau. 897 sq.)?

Qui igitur fieri potest, ut rejecta Lachmanni sententia bono animo nostram retinere possimus? Concedamus necesse est, licuisse poëtae, quid pulchrum magis, quam quid lege esset et religione sancitum quaerere, dearum numerum, quippe qui nihil ad rem faceret, pro nihilo habere. Estne grave, ingenio tantum concedere? *)

At ipsi Athenienses fortasse non aeque tulerunt, fortasse — nam quamvis incertissimum sit, minime tamen plane refutatum est — causam ei propterea dixerunt? Recordemur igitur verborum illorum quae egregie ab Aeschylo dicta feruntur: „tempori se tragoedias suas conservare,“ faciamusque ne spes eum fefellisse videatur „fore ut tempus debitum ipsi honorem concedat“ (Athenaeus 8, 347. F.) **)

Titanum quot fuerint in Promotheo soluto vix dixerim. Facile vulgarem opinionem ad solennem choreutarum numerum

---

*) Grave non est visum Lobeckio viro clarissimo — „Sine dubio, inquit, liberum fuit, quot quis vellet Gratias, Horas, Musas introducere; quamquam ternarium numerum poëtae et fictores tenuerunt, ut colloquio struendo et rebus agendis aptissimum“. Aglaopham. pg. 81.

**) Sed audaciam nemini persuadere possumus. Modo ne quis cum Lachmanno simul majoris audaciae speciem prae se ferat. Nam si rejicienda nostra sententia cautior quis videri velit, quomodo Aeschylus offensae religionis crimen evitaverit, se nescire fateatur necesse est.

proxime accedentem poëta servare potuit. Est ea Welckeri sententia (pg. 39).

De Droysenii Cyclopibus, de Phorcidibus et Heliadibus taceam; cf. supra §. 9) quod ad Satyros attinet, facilius quis delectum tantum eorum in dramatum satyricorum choris induxisse poëtam mihi persuaserit. Est enim ne a religione quidem Satyrorum numerus definitus, sunt ubique Satyri et per se innumerabiles.

Haec habui quae de religionis infima apud Aeschylum conditione, qua tota ex poësi penderet, in medium proferrem. Scio me magni laboris minimam adhuc partem peregisse. Superest enim ut secundo et tertio capite de religione quasi vires resumente et tandem ab artis vinculis liberata dicatur. Sed finienda iam mihi est haec dissertatio, quae si novam scribendi de theologia Aeschyli rationem viris doctis probaverit, ad finem ducendi operis inchoati officium mihi imponet.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1) Hegeliana sapientia a Feuerbachio nec refutata est nec superata.

2) Falsa est Hegelii de notione pulchri sententia.

3) Philosophia, licet ad universa potius quam ad singula spectet, nihil tamen habet, quo ad agendum tardiores homines efficiat.

4) Pueris sunt Graecae prius quam Romanae litterae discendae.

5) Jeremias (c. 49) Obad-Jam, non hic est illum secutus.

6) Verba Mich. 5, 1 hoc modo in Latinum sermonem converto: »Et tu Bethlehem Ephratha, urbs parva: qui sit in civitatibus Judae dominator, ex te is mihi prodibit, qui sit, inquam, in Israële dominator.«


7) Loci Ev. Jo. 12, 44 sensum hac paraphrasi explico: »Jesus contra ea publice semper et libere haec professus erat« et quae sequuntur.

8) Nec temere Panaetium Cicero reprehendit (de off. I, 2 ext.), neque omisit, quid sit officium, definire.

9) In versu epistolae Horatianae ad Pisones 197 cum Bentlejo: pacare tumentis scribendum censeo.

10) Vocabulum *μετοίκων* Aesch. Ag. V. 57 de avibus intelligo, tanquam deorum in aethere vicinis.




WIDENER
WIDENER
MAY 2 8 1996
MAY 2 9 1996
CANCELLED
BOOK DUE

